


AD ALEXANDRVM PERETTVM.

SANCTÆ ROM. ECCLESIÆ Cardinalem Amplissimum.


IOANNIS BAPTISTÆ Euangelistæ Lusus.






VENETIIS,

Apud Ioannem, & Andream Zenarium.
MDLXXXIX.



ILLVSTRISSIMO,
ATQVE REVERENDIS.
ALEXANDRO PERETTO
Sacroſanctæ Rom. Eccl. Card. ampliſs.

IOANNES BAPTISTA
Euangeliſta. S. P. D.







X omni doctorum hominum genere, Princeps optime, Cardinalisq; ampliſſime, quod quidem quam latè pateat, & quam varium, ac multiplex ſit, non ignoras, illos ego in primis probandos, illos non laude ſolum, ac commendatione, ſed etiam amore, cultuq; dignos ſemper arbitratus ſum, qui ſe poeticis ſtudijs, rebuſque ſic dedidere, vt non ocio, ingenioq; abuſi videantur, ſed ſibi nomen, & diuinitatis opinionem comparare, reliquis vero mortalibus ita conſulere, vt ijs, qui aliquid egregium, forteq; geſſerunt, immortalitatem, ceteris autem hominibus honeſtiſſimas voluptates maximis cum vtilitatibus coniunctas conciliare, afferreq; ſtuduerint: & ſi enim nullum eſſe ſcientiæ, nul-

lum paulo liberalioris artis genus puto, quod non graue sit, atque honestum, quodq; non ornet, excolatq; mirificè ingenium, atque animum hominis, illumq; aut ad res iuuet, exsuscitetque agendas, aut ad intelligendas, spectandasque attollat, & erigat, ea tamen poeticæ rei est cum praestantia, atque nobilitas, tum fructus, atque vtilitas, vt non modo nullam esse doctrinam existimem, quæ illi antecellat, sed ne quæ æquet quidem vim, naturamq; illius: nam, cum scientiæ omnes inuentæ excogitatæque credantur, vt illis ornemur, iuuemurq; ad omnia vitæ munera, officiaq; probè, laudabiliterq; obeunda; viuendi autem genus duplex ipsa nobis proposuerit natura, vnum, quod maximarum, atque vtilissimarum rerum actione cernatur, alterum, quod pulcherrimarum contineatur speculatione, atque cognitione, ibiq; prudentia illa rerum gerendarum magistra, hic sapientia dominetur non iucundissima solum, sed diuinissima quoq; rerum omnium, nonne vnum, idemq; poetarum artificium & agendi, & intelligendi laude sic alijs præstat, antecellitq; scientijs vniuersis, vt, quemadmodum nihil potest poeta iucundius fieri, sic nihil possit eodem neque prudentius, neque sapientius excogitari? quis enim non prudentes existimet eos, qui, dum hominum sibi

actiones,

actiones, mores, perturbationes, fortunas, dicta, factaq; imitanda, carminibusq; effingenda, describendaq; proponunt, iure optimo & vitæ magistri, & ad felicitatem duces à sapientissimis viris semper habiti, existimatiq; sunt? qui non humanas solum, sed heroicas quoque, ac diuinas virtutes sic exprimunt canentes, vt nullo ex genere doctorum cum melius, tum vtilius, feliciusque possis omnes bene, beateq; viuendi vias, omnes præclare, laudabiliterq; agendi rationes cognoscere, omnes percipere differentias, formulasque honestatis, ac turpitudinis, discereq;, quid quenque deceat, quid cuique siue rei, siue loco, siue tempori congruat, atque conueniat. Itaque cum illorum fabulis, carminibusque multiplices, ac varias inesse vtilitates perspicuum sit, neq; maiore cum fructu quicquam legi, quàm præclarum, eruditumq; poema constet inter omnes, mirandum non est, si omnium gentium, populorumque consensu ad pueritiam, adolescentiamq; instituendam, conformandamq; ad officium, atque ad humanitatem non aliud eruditorum, ac sapientium genus delectum est, quàm poetarum: mollioribus enim illis ætatibus quis nescit non insignium philosophorum monumenta, scriptaq; legenda, sed poetarum prestantissimorum poemata ediscenda proponi ea potissimum

tiſſimum de cauſa conſueuiſſe, quòd ne ipſi quidem omnis doctrinæ, omnis eruditionis non participes ſolum, ſed parentes etiam, & auctores, magiſtriq; philoſophi docent peritius, planiuſque demonſtrant, quæ expetenda, quæ fugienda, declinandaq; ſint, quibus vita rationibus, inſtitutis, præceptis inſtituatur, appetitiones coerceantur, compeſcantur libidines, res non familiaris modo cum parſimoniæ, atque continentiæ laude adminiſtretur, ſed publica quoque cum prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis geratur gloria? antiquorum namque poetæ virorum, regum, heroum geſta, factaq; canentes, atque ornantes, illorumq; conſulentes memoriæ, atque immortalitati, illuſtri propoſito exemplo, poſteros accendunt, atque inflammant ad veterum imitationem, ac virtutem: idque dum faciunt, quid quanque deceat ætatem, fortunam, ſexum, quo priuato homini, quo magiſtratum gerenti, quo militi, quo imperatori, quo oratori, ſpectandum ſit, quo, quæ agimus, dicimus, cogitamus, referri oporteat, quaſi aliud agentes, ſic peritè, ſapienterq; demonſtrant, vt nullius ex prudentis, doctiq; viri neque voce, neque ſcripto plura, maioraque diſcamus. Verum cum alij prudentes, alij ſapientes eſſe credantur, neque idem agere putetur, quod intelligere, & doctrinarum

aliæ

aliæ vitam, & mores, aliæ ingenium dicantur excolere, hisque ad verum, illis ad bonum, vtrisque ad felicitatem muniri via existimetur, an sic poetica in actionibus versatur canendis, sic agentes instituit, gerendarumque rerum proponit, explicatq; rationem, vt intelligentes destituat, & nullis neque præceptionibus, neque documentis iuuet, ornetque studiosos, atque philosophantes? dij boni, quid in hoc genere maius, diuiniusque poeta? vnde plura, grauioraq; licet cognoscere, quàm ex carminibus illius? an potest quicquam in rebus fieri siue humanis, siue diuinis, tam abstrusum, atque reconditum, tam magnum, atq; altum, tam cognitione, & scientia dignum, quod non illius fabulis tectum, velatumq; conspiciamus? quæ potest ars excogitari siue ex ijs, quas liberales, ingenuasq; vocamus, quòd liberi hominis, ingenuiq; labore dignas existimamus, siue ex illis, quæ hominum vsibus, necessitatibusque ancillantur, quam non immensis illis finibus, ac regionibus suis poetica complexa sit, atque coerceat? quæ etiam si fabulas, fabulosasque res canat, & in commentitijs rebus versetur, videaturq; omnia ad voluptatem referre, incredibile tamen est dictu, fictis illis, quas complexa est, rebus quantum afferat bonæ frugis, quantum vtilitatis ad id, quod deceat tam in dictis,

quam

quam in factis perſpiciendum, & ad omne genus & rerum, & doctrinarum cognoſcendum? quid enim fieri in cœlo, quid in terris, quid in igne, aere, aqua, quid in quaque poteſt naturæ parte, quòd non illa doceat, atque aperiat eo, quo illi licet, modo? quis & Deos eſſe, & nos, noſtraq; curare, & fauere bonis, malos vero odiſſe, virtuti mercedem; eamq; æternam, vitio ſempiternum ſupplicium ſtatuiſſe illos aut vtilius ſignificat, aut declarat ſapientius, quàm poeta? quis ſperet ſe commodè domi, quis militiæ cum laude victurum? quis quicquam ſiue laborioſum, ſiue periculoſum magno animo ſuſcepturum pro ſalute ciuium, finibuſque proferendis imperij, pro iuſtitia, pro fide, pro pietate, pro religione Deorum immortalium ſiue retinenda, ſiue amplificanda: quis in priuatis, quis in publicis, quis in domeſticis, quis in forenſibus, quis in ciuilibus, quis in militaribus rebus temperatè, iuſtè, fortiter, prudenterq; adminiſtrandis, ac gerendis confidat ſe verſatum iri ſine vlla poetarum lectione: nec enim quoniam, quæ dicunt, quibuſdam velant, teguntq; inuolucris, ideo fit, vt minus proſint, ſed vt plus delectent, pluresq; dulci alliciant eſca voluptatis ad ſua audienda, legendaq; poemata; ex quibus ſi quis eſt, qui putet, quemadmodum ex ceterorum eruditorum, ſapien-

pien-

pientiūmq; virorum ſcriptis, ſingulas nos tantùm vtilitates percipere, non vniuerſas, & vno duntaxat rerum genere iuuari, non omnibus, ille me hercule neque recte ſentiret, & multis illis careret, ac ſingularibus bonis, quæ ex præclaro excerpi, elicique poemate & poſſunt, & ſolent: nam, cum omnes, qui ſcribunt, ideo ſcribendi ſuſcipiant laborem, vt cum ſuæ ipſorum conſulant famæ, nomenq; parent ingenij, atque doctrinæ, tum multo etiam magis vt proſint mortalibus, illosque reddant aut ad res ſpectandas, contemplandasque doctiores, aut ad agendas meliores, aut ad explicandas, exprimendaſque eloquentiores, poeta non, quemadmodum reliqui omnes docti viri, vnam tantum ex tribus affert vtilitatibus, ſiue doctrinæ, ſiue virtutis, ſiue eloquentiæ, vbertatisque verborum, ſed ſic illas confundit, ac commiſcet omnes, vt vnus ipſe inſtar ſit omnium & eruditorum, & docentium: quas enim alij ſeparant, ac ſeiungunt, eas ipſe ſic coniungit, ac nectit, vt vno, eodemq; poemate & acutè res cernere, & honeſtè, ac præclarè agere, & eloqui copiosè, ornatè, iucundeq; doceatis: vt mirandum non ſit, ſi, cum tam multas, ac magnas præſtet, exhibeatq; poeta & voluptates, & vtilitates, vnus ex omni doctorum hominum multitudine, atque varietate, ſapientiſſimo

 anti-

antiquitatis iudicio, delectus sit, cuius studia imperatorijs æquentur laboribus, eadem, qua illi, laurea decorentur, atque ornentur; qui non, vt ceteri sapientes, doctrina, præceptis, arte iuuari, sed natura ipsa valere, mentis viribus excitari, & diuino quodam afflari spiritu credatur, qui mirando, ac sacro Græcè poetæ, latinè vatis nomine appelletur, qui sacrosanctus, ac diuinus habeatur, & deorum siue interpres, siue familiaris, siue filius existimetur. Hac ego tam multiplici artis, studijq; poetici & laude, & opinione commotus, Princeps humanissime, & voluptate, oblectationeq; captus ea, quæ illi inest, qua nulla vllo ex artificio maior, honestiorque percipitur, cum primum cepi literas puer attingere, sic statim exarsi desiderio tam iucundæ, diuinæque artis cognoscendæ, vt, cum nulla magis, quàm poetarum lectione delectarer, aut non alios mirarer, legeremq; auctores, quàm poetas, aut, si quos aliquando inspicerem alios, ex ijs obseruarem, ac deligerem, quibus, si quid ipse vnquam lusissem, ac cecinissem, vllumq; condidissem poema, locupletare illud possem, & grandius, atque augustius facere: quod itèm fecisse obseruabam, deprehendebamq; optimos quosque & Græcos, & latinos poetas: ac licet intelligerem me neque ingenio, neque eruditione satis instructum esse

ad

ad poeticas res pertractandas, conficiendumque poema, tamen propensione quadam ad hanc iucundissimam artem cum ferrer, non potui ipse mihi temperare, quin aliquid pangerem interdum, quo me, & latinæ linguæ non ignaros amicos, patronos, principes, quorum sum familiaritates secutus, oblectarem, & quamuis, quæ diuersis & locis, & temporibus feci poemata, ea nemini minus, quàm mihi, placerent; sic tamen non nunquam aliqua ex illis probata sunt doctis, eiusdemq; artificij peritis hominibus, vt ea partim in Etruscum nonnulli verterint sermonem, partim, me inconsulto, inscioque imprimenda curarint, cum in illa forte incidissent: quod quidem cum viderem, cepi subirasci diffidentiæ, ac timori meo, qui dum omnia metuo, omnia vereor, nihilq; probo meum, iniquior esse iudex videor rerum mearum, qui æquissimus esse debebam, & quibus rebus alios oblectare, aut iuuare non nihil possem, eas dum supprimo, vitandæ reprehensionis, quàm parandæ laudis studiosior, non minore teneri errore possum videri, quàm qui omnibus, quæ fecere, sic delectantur, sic afficiuntur, vt vix dum condita, descriptaq; audeant edere, tradereq; typographis imprimenda. Hoc cum in me amicissimi sæpe viri, ijdemque doctissimi damnarent, ac carperent, hortarenturque,

turque, vt, quæ multis laboribus, diuturnisque vigilijs eram lucubratus, ea tandem domestico emitterem carcere, alicuius principis viri fulta præsidio, cuius existimatione muniuentur contra improborum inuidiam, atque obtrectationes, statui demum amantissimis hominibus; & cum meæ laudis, tum publicæ vtilitatis cupidissimis parere, atque obsequi: cumque multa haberem, quę mitterem, imprimendaque curarem, visum est à poeticis incipere ea de causa, quòd pleraque illorum cum in manibus versarentur multorum, & quædam etiam edi, me neque consulto, neque monito, scienteq; viderem à viris, qui ea se re non iniuria me affecturos fortasse, sed honore arbitrabantur, periculosum esse duxi pati in omnibus fieri poematibus nostris; quod in non nullis factum erat, vt, cum nullum ferè esset illorum, cuius non penes multos exemplaria reperirentur, dum illa ipse non pluris feci, quàm facienda videbantur, neque coercui domi, sed errare, vagarique latius siuì à plerisque descripta auditorum nostrorum, aut deprauata, ac corrupta, aut non satis limata, correctaq; vulgarentur: cumq; in hanc sententiam inuitus potius venissem, quàm volens, vt vulganda putarem, quæ cęlanda erant, patronus libellis, ac versiculis nostris cum quæreretur à me is, cuius auctoritate

obtre-

obtrectatores à maledicendo, inuidi à reprehendendo, carpendoq; deterrerentur, nullus est cogitanti, deligentiq; oblatus, quem tibi, munificentissime Cardinalis, conferrem, nedum præferrem: Si enim quæritur in patrono dignitas, si grauitas, si fides, si amor, ea tibi sic adsunt omnia, vt, vno maiore auunculo tuo Sixto Quincto Pontifice optimo, maximoq; excepto, nemo sit, qui illis tibi bonis, rebusque præstet, atq; antecellat; nemo, qui te æquet: primum dignitas, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis cumulis, amplissima est; grauitas vero, etiam si adolescens es, tamen in dictis, factisq; tuis, in omni sermone, omniq; vitæ genere sic apparet, vt te quidem aula, Ecclesiaq; maiores natu permultos habeat, constantiorem vero, grauioremq; habeat profectò neminem: nec id quidem mirum: habuisti enim domesticum cum ceterarum virtutum omnium, tum firmitatis in primis, constantiæq; exemplum, quod imitareris, ad quod respiciens, nullo in genere rerum aberrares, in omni versareris cum laude singularis prudentiæ, dignusq; præclarissima quaque videreris fortuna, præsertim cum nactus esses ingenium, indolemq; eam, qua tantum magistrum docilis, prudensq; discipulus si minus assequereris (quod fieri nullo pacto potest) præeuntem, at certe non admo-

3 dum

dum longo ſequereris interuallo: felicis enim Peretti educatione, inſtitutioneq; domeſtica aſſecutus es, vt nihil te ſanctius, nihil innocentius, nihil moderatius, nihil ad præſtantes artes cognoſcendas erectius, nihil ad benemerendum propenſius, procliuiusq; videamus: ille te non tam lingua, quam vita, neque tam acutè præcipiendo, quàm bene agendo tanta erudiuit, inſtituit, informauit felicitate, vt in tam tenera ætate, illum imitatus, nullis voluptatis illecebris, nullis ſecundioris fortunæ commodis, blanditijsq; abducaris à virtute, à laude, gloriaq; conquirenda, ad quam quidem ſic contendis feliciter, bonis viris complectendis, fouendisq; ſtudioſis bonarum artium vt tantam tibi tribuiſſe dij immortales potentiã, obtuliſſeq; fortunam ob id vnum potiſſimum videantur, vt literarum ſtudia, eloquentiæq; cum oratoriæ, tum poeticæ, quæ ſuperiorum temporum ſiue calamitatibus, ſiue deſidia erant propè exciſa, iacebãtq; neglecta in tenebris, ac ſordibus, dum illud quiſq; genus probat, amplectiturq; ſtudiorum, quod minoris eget laboris, atq; ingenij, plus autem affert vtilitatis, tuo tãdem patrocinio reuiuiſcant; peregrinatæq; diutius, quàm decuit, ſcientiæ, & longo mulctatæ exilio, longaq; deſpicientia, atque contemptione, & in vltimas terras, genteſq; relegatæ aliquando in latium, Italiamq;

tua

tua ope, operaq; reuocetur. Qua vero, Principum humanissime, beneuolentia, qua fide sis in eos, quorum tibi delatum suscepisti patrociniũ, ignorare fortasse illi, qui sua tibi non credidere, qui se in tuam non cõtulere clientelam, possunt, Firmani certe non possumus, qui te v imur publicè, qui te priuatim patrono, quibus faues, non vt clientibus, sed vt fratribus; cum quòd tua ea est natura, id ingenium, vt non possis nõ respondere in amore ijs, à quibus prouocaris, tum etiã quòd statuis esse humanitatis, ac prudentiæ tuæ, vt, quos à Sixtò diligi nõ mediocriter vides, eos tibi cõplectendos, & tuis ornãdos beneficijs iudices, ne in ciues ingratus videaris illius, vnde singularis ista dignitas, atq; auctoritas profecta est tua: mihi certe honestũ nõ erat à ciuitate diffidere mea, aliumq; opusculis meis patronũ optare, quàm quẽ illa sibi optanerat, pręsertim cũ nullius principis viri patrocinio possem esse protectior, quàm tuo, cuius prudentia, iustitiaq; Firmana regitur, gubernaturq; respub. quiq; hoc gymnasiũ, recẽs illud quidẽ, quippe quod Sixtus ipse tuus auunculus, noster ciuis instituit, atq; aperuit, sed celeberrimum tamen sic foues amanter, sic curas beneuolè, vt quicquid illud ferre, ac parere, quicquid eius familia doctoresq; possunt ingenio, doctrinaq; præstare, quorũ ego minimus sum, vt fortuna, ita & eruditione, id

alij

alij dicare, quàm tibi nõ imprudentię, sed amentię foret. Ac licet non ignorē munusculū hoc poematum nostrorum visum iri cum tibi, tum sapientissimis istis, quibus domus tua referta est, viris, tenue, ac leuidense crasso filo; tamen, quoniam spero te spectaturum non tam quid amplitudinem tuam deceat accipere, quam quid humilitas mea possit donare, nõ sum deterritus quò minus nomē tuum nostris lusibus affigerem, vt si minus placere lectoribus (si qui hæc fortasse lecturi sunt) sua causa possunt, placeant saltem eo vno, quòd tibi sacrati, dicatiq; sunt. Quod igitur superierit tēporis à grauioribus curis, negotijsq;, quibus exploratum est te distineri non parum in Christiana rep. gerenda, Ecclesiaq; administrãda tuæ commissa, creditaq; prudentiæ, ac fidei, id si ad has nostras contuleris inspiciendas, legendasque interdum nugas, honestiores sanè ijs, quas alij ex alea principes inerudíti excerpunt, percipies voluptates: non audeo dicere vtilitates, quòd non ea esse mea poemata certo scio, vnde tui similes adulescentes, ac principes elicere fructum aliquēm possint siue virtutis, siue doctrinæ: sed tamen si qua sensero significatione mea tibi non displicere, ad reliquas vigilias, ac lucubrationes nostras edendas tibi dicatas, & tui nominis scuto protectas facies promptiorem. Vale.

Del


DVM decus altisona Daphnis modularis auena,
Aut doctor qualis debeat esse canis,
Heroumq; refers fortissima gesta sacrorum,
Vel pulsas plectro dulcia fila Lyræ.
Carmine & incestos vel detestaris amores
Coniugiumq; mones nil nisi grande sonans.
Mincigenam præstas vatem, concedit alumnus
Sulmonis, rigidi quem tumulare Getæ,
Inter & astra caput condens radiosa volatus
Pindaricos (mirum) penna alacri superas.
Mœenio hinc igitur vati, quod contigit, vrbes
Certatim Pici te esse suum referent.
Patria sed cœlum est tua, sunt Charitesque sorores,
Phœbi cura prior, Calliopea parens.

QVOD canis insignis vates, dulcisq; poeta,
Id non humano manat ab ore viri.
Non sonat hoc hominem: non hoc mortale videri,
Sed fusum diuo numine nempe potest.
Nec tibi Picenus pater est, aut Itala mater;
Quamuis Picenus te modo pascat ager.
Vt reor, est genitrix, quæ tam noua carmina dictat,
Calliope; aut illa est vertice nata Iouis.




Edmundi Hollyngi Angli Philosophiæ Doctoris.

FLACCVS, & antiqui quicquid fecere poetæ,
Quicquid ab illorum tempore, quotquot erant,
Quotquot erunt, quicquid facient labentibus annis,
Cedat, & hoc cunctis anteferatur opus:
Nam veluti exorto pelluntur cætera Phœbo
Sydera, nec lucis, plusve nitoris habent,
Sic alij vates Phœbæo hoc carmine pulsi,
Carminaq; ipsorum pulsa nitore carent.




O Dal Permeſſo il chiaro humor deriui,
Del tu'ingegno rigando i lieti campi,
Onde t'ammiri il peregrin, che gli ampi
Spatij vagheggia al ſuon dei freſchi riui:
O quel, ch'indi tu beui, al mondo ſcriui,
Sì che ſtupore in mille cor nè ſtampi,
E'l ſecol noſtro al priſco agguagli, e auuampi
Entro à raggi di gloria ardenti, e viui:
Scorgo il Latio fiorir, miro le piagge
Sparger di nouo à l'aria i vigor primi,
Quando (e lode è maggior) credeanſi morti.
Sien le celeſti diue, e le ſeluagge
Intente al canto, ond'hoggi honor ſublimi
D'allor già diſuſato al crin riporti:



QVI doue le ſue gratie hoggi compar-
te
Il buono Euangeliſta à i ſaggi, e buoni,
E come chiaro il nome ſuo riſuoni
Moſtran' le dotte, e non più viſte car-
te.
Mirà, ammira, Lettor natura, ed arte,
Che fanno à garra inſiem' chi più le do-
ni
De le ſue gratie, e de più cari doni,
Si che ne l'opra habbia maggior' la par-
te.
Volerà il nome ſuo dal borea à l'oſtro,
E doue naſce giouanetto il giorno,
Fin' doue fatto vecchio inclina, e more.
O gradite fatiche, alto valore,
In voi chiaro ſi ſcorge il pregio voſtro,
Per cui più bello il bel' faſſi, & adorno.

TV sì ch'al suon de la soaue lira
Rinoui i pregi de gl'antichi allori,
Cantando hor dolcemente i vaghi amori,
E'l gran valor, che'l secol nostro ammi-
ra:
Hor di chi contra Himeneo sì s'adira
Per trar vita seluaggia i graui errori,
Hor il canto de' nobili pastori,
Che nel Picen da Pindo Phebo tira;
Hor de la Corte l'incerta fortuna,
E lo stral empio, onde l'esangue prole
Al nesto genitor trafigge'il petto,
Hor accordando a l'agitata Cuna
De la tua dotta Musa alme parole
Quetar col sonno il pianto pargoletto.



O CHE Febo di nuouo in terra riede,
E pasce nel Piceno i vaghi armenti,
O, ch'ei la cetra, e i suoi diuini accenti,
Vangelista gentile, à te concede.
O, che'l bel monte, oue l'altera siede
Ferma Cittade hà i bei riui correnti
Di Pindo; e d'Elicona, ò questi spenti
Han cangiato con quegli e nome, e sede;
Poiche i tuoi versi'n tante forme sparsi
A te lode immortale, altrui stupore
Rendono'n ogni parte, oue'l Sol gira;
Onde l'età nouella hoggi agguagliarsi
Deue à l'antica, e porre alto timore
À Mantoa, a Smirna, à l'vna, e à l'altra Lira.



Dell'istesso.

DEL bell'allor, che ne' felici prati.
Del Latio fà si verdeggiante, e adorno,
Ch'apportò inuidia, e forse altero scorno
De le Greche campagne à i più pregiati,
Hauean'l vago color tempi gelati
Estinto'n parte, e più di giorno in giorno
S'estinguean le radici, à cui d'intorno
Herbe nociuè, e spini erano nati;
Voi saggio agricoltor, nel bel Piceno
Lo trapiantaste, e e con ingegno, ed arte
Coltiuato l'hauete in guisa tale,
Che verdi fronde in copia hoggi comparte,
Di cui v'orna la fronte, ed empie'l seno
L'arbor vittoriosa, e trionfale.



IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTÆ POEMATVM.

De suo ad Vrbem, Aulamq; Romanam reditu dubitatio.

LIBER PRIMVS.



VAE me despectum ingrata modo dispulit Vrbe,
Ad cultum reuocat mitior Aula patrum.
Quæ spreuit iuuenem, seniorem accersit eundem
Illa parens alijs, Roma nouerca mihi.
Quid faciam? spectem ne rates è littore tutus?
An pandam leni carbasa plena noto?
Occurrunt dubij felicia præmia cursus;
Occurrit pauido naufragiumq; vetus.
Prisca monent, timeam ventos, fluctusq; minaces;
Nève velim Zephyris credere, nève mari.
Promittit reliquum tempus meliora, docetq;,
Sperem post tristes, tempora læta, dies.
Post hyemem, brumæq; niues, & frigora, veris
Insequitur multis gratia culta rosis.
Post cæcas noctis tenebras, telluris & vmbram,

Phœbeum eoo surgit ab orbe iubar.
Post bella, & saui metuenda pericula Martis,
Dulcis pax rediens ocia grata refert.
Qui mala multa tulit, qui tristia plurima passus,
Gaudeat, & iam iam speret adesse bona.
At, cui fortuna obiecit bona plurima, tristis
Mæreat, & iam iam credat adesse mala.
Nam, finis est extrema mali pars, prima bonorum;
Nempe boni sic pars vltima, prima mali.
Gaudia desinere in luctum, in lachrimasq; secunda,
Sensit Mæonius rex, Phrygiusq; senex.
Priamides domini ad sceptrum, thalamumq; vocatus
Sæpe modum lætum tristibus esse docet.
Quicquid fortunæ cæco de numine pendet,
Instabile est, crebas euariatq; vices.
Elisos reficit remos, velumq; ratemq;
Nauita, naufragium qui modo passus erat.
Post fusas acies, acceptaq; vulnera, durus
Se se miles ouans ad noua bella parat.
Ille domum rediens, spumosa per æquora vectas
Exponit patrio littore diues opes.
Hostibus hic victis lætus, partoq; triumpho,
Inuehitur curru templa superba Iouis.
In dubijs timet ignauus; sed fortia sperant
Pectora; fortunæ nec dare terga sciunt.
Talia dum iacto, mentem sipyleia mater
Pulsat, & immemorem non sinit esse sui.

Illa

Jlla monet, fortuna tenax quam ſæpe iacentes
Proterat, & miſeros vrgeat vſq; grauis.
Clamat Olynthiacus ſapiens, lacer ora, manusq;,
Vitandos reges, magnificasq; domos.
Quiq; ſuo menſis fœdatis ſanguine, amici
Ante pedes regis vulnere cæſus obit.
Quid te Clite iuuat Magnum ſeruaſſe tyrannum?
Maxime quid tanta prælia geſta fide?
Dum patrem nato præfers, laudasq; Philippum
Liberius, domini concidis enſe tui.
Vitaſſes aulam, nec regia tecta ſubiſſes;
Non reſperſa tuo menſa cruore foret.
Aulica, quæ multis felix fortuna videtur,
Dicere, ſit ſemper quam grauis, ipſe potes.
Multos illa viros euexit ad æthera; multos
Obruit inſontes fluctibus illa ſuis.
Non locus eſt ibi virtuti; prudentia rerum
Nil prodeſt; ſed ſors omnia ſola gerit.
Omnia fortunæ parent; facit illa beatos;
Illa eadem miſeros imperioſa premit.
Cum virtute libens rariſſima fœdera nectit;
Non bene conſpirant numina magna ſimul.
Bella gerunt Marte ancipiti, pugnantq; libenter:
Eſt inter ſæuas gratia rara deas.
Sed tamen alterius ſplendore, & lumine creſcit
Altera; ſi coeant, vtraque maior erit.
Vna tamen largitur opes, largitur honores

Sors; premit, & pressos erigit vna viros.
Vna magistratu decoratos ditat opimo:
Vna ornat canas murice sæpe comas.
Vna valet solium, sceptrum, diadema, tiaram
Tradere, vel stolidos vna beare potest.
Vt sis imperio dignus, tripliciq; corona,
Præstabit virtus: non tamen illa dabit.
Nam fortuna facit reges vna, vna beatos
Pontifices, meritis, immeritisq; fauens.
Nescit ab indignis dignos secernere: quippe
Nec cernit quicquam, luminibusq; caret.
Sæpius in prauos cæca incidit; euehit vnquam
Insignes aliqua vix probitate viros.
Illa meis nunquam respondit prospera votis:
Semper sed constans ad mea damna fuit.
O vtinam seruet mecum moresq;, modosq;
Diua incerta suos, & leuitate iuuet.
O vtinam iuueni, quæ nunquam dextra negauit,
Dona secunda, graui det leuis illa seni.
Quæ non Campana proceres, Gaddiq; dedere,
Forte dabit SIXTVS, *forte* PERETTA *domus.*
Non sinet Pater ille pius, Pater ille beatus
Dira senescentem, pauperiemq; pati.
Picenum haud quaquam patietur egere poetam
Picenus princeps, vir sapiensq; senem.
Ille Cupræ est ortus; vicina est Cupra Marano,
Quæ nobis cara est patria, dulce solum.

Quòd

Quòd sum finitimus, quòd littore natus eodem,
Prosit, & auxilium, præsidiumq; ferat.
Quodq; colam musas, quo tempore cuncta tribulis
SIXTE regis, veræ religionis honos;
Vtile sit, nostrasq; iuuet, foueatq; camænas;
Ne res parua angat, sollicitetq; fames.
Nec, quòd Laurentes musas sectamur, Etruscis
Desertis, spernas carmina nostra, Pater.
Sis mihi, quod Flacco Mæcenas, quodq; Maroni
Augustus: vatem dilige & usque tuum.
Magnus ALEXANDER *pietate insignis, & ostro,*
Efficiat musis ocia grata meis.
Te decet in primis, iuuenis sanctissime, vates
Complecti, vt laudes, & tua gesta canant.
Quæ te nunc decorat, decorauit purpura multos,
Quos tenebris mersos obruit atra dies.
Nocte latent, quoniam non dilexere poetas,
A quibus ornari, vel potuere coli.
Vtere diuitijs, magni clementia SIXTI.
Quas dedit, vt scandas sidera, more Iouis.
Vtq; bonas artes, quarum propè funera cernis,
Ad vitam reuoces, speq;, opibusq; iuues.
Non est ad veram laudem, famamq; parandam,
Non est ad cælum rectior vlla via.
Tu quoque diue puer, nomen cæleste, MICHAEL,
SIXTI *deliciæ, curaq; summa pij,*
Incipe Pierias studio exornare sorores:

Incipe

Incipe Phœbeis artibus ipse capi.
Et tu, pauperibus quæ pergis ad astra iuuandis,
Magni Pontificis magna CAMILLA *soror,*
Suscipe diuinos vates patrona clientes,
Qui tantam laudent cum probitate fidem:
Qui neptum formam, fratis pia gesta, nepotum
Dicta, & facta canant, te super astra ferant.
Quid tot patronis innixus, tamq; benignis,
Fortunæ timeam vulnera, tela, faces?
Dum sedet ad clauum SIXTVS, *ventosq;, fretumq;,*
Spernere, vel syrtes, & vada cæca licet.
Ingreditur scopulosum æquor, qui pergit ad aulam
Sed tamen, & dubius nauita sulcat aquas.
Qui modo liber erat, seruit: dominique potentis
Imperio premitur, seruitioq; volens.
Non ille est acie victus, non captus ab hoste,
Sed iuuat optato subdere colla iugo.
Hem mala quo ambitio trudit, regniq; cupido,
Quo furor immanis, quo sceleratus amor.
Non pudet ingenuæ ceruici imponere regem,
Quærere non dominum, qui fugiendus erat.
Docta loqui è cauea, dulcis cupiensq;, memorque
Libertatis auis non reditura fugit.
Carcere, si effugium pateat, conclusa leæna
Euolat in siluas, & sua lustra petit.
Ast homo ad imperium natus, diuina propago,
Ipse sua nectit vincula sponte sibi.

Viuitur

Viuitur alterius votis: non libera somni
Tempora pergrati, non datur hora cibi.
Principis ex nutu pendet cor, lingua, manusq;:
Pectore multa tamen frons simulata tegit.
Nulla habet aut plura, aut maiora pericula vita:
Nulla magis varios, ancipitesq; modos.
Quid magnas referam curas, magnosq; labores?
Quid referam cæcas, præcipitesq; vias?
Quid narrem insomnes noctes, discrimina mille?
Quid mille insidias, perpetuosq; dolos?
Flagrat auaritia, cæcaq; cupidine honorum,
Flagrat vafra cohors inuidiaq; mala.
Omnia magnifica fucata videntur in aula:
Est ibi ficta fides, & simulatus amor.
Exulat inde pudor: seclo rarissima nostro
Laus ibi non priscæ Simplicitatis adest.
Quis tamen in tanto numero neget esse fideles?
Quis neget in multis millibus esse bonos?
Quis non in DECIO *verum fateatur amorem?*
Et veram vera cum pietate fidem?
Cum tegere arcanos taciturna silentia sensus
Cernamus QVINCTI, *consiliumq; graue.*
Ingenio magnus, maior, quòd murice sacro,
Sixti iudicio, tempora culta gerit.
Hic est Piceni lux prima, & maxima Firmi,
Hic magno auxilio, præsidioq; suis.
Non hunc nobilitas, non huic prudentia fratrum,

Non

Non digna imperio tangere forma potest.
Quæ vincunt alios, fortunæ hic munera temnit:
Non capitur leuibus mens veneranda bonis.
Macte alta virtute tuos complectere ciues.
Dilige deuotos, percupidosq; tui.
Hac iter ad cœlum est, hac Romulus astra petiuit:
Iuppiter hac etiam creditur isse polum.
Ne spes falle meas, patrium ne despice vatem,
Sit licet ingenio tardus, & arte rudis.
Hæc ego dum canerem: teq;, & tua gesta pararem
Tollere ad astriferi sidera summa poli:
Inuidit patriæ tantum fortuna patronum.
Inuidit dominum sors periniqua mihi.
Magna nimis, superi, propria hæc si dona fuissent,
AZZOLINA *viro visa propaga foret.*
Morte tua, Iuuenis præstans heu concidit omnis
Quam cito Firmani spesq;, decusque soli.
O vtinam nostros solentur numina luctus:
Et SIXTI *pietas vulnera tanta leuet.*
Tu quoque Lucensis CASTRVCCI *gloria gentis,*
Monstrat honos capitis, purpureæque togæ,
Quam fidus, peramansque tuo videare magistro,
Quam grauis, & multa relligione pius.
Commendat generis nomen, splendorque vetusti,
CAIETANE, *tui, priscaque fama domus.*
Plus tamen est auxisse sacrum, sanctumq; senatum
Munere Pontificis, iustitiaque tua.

Extol-

Extollunt Ligures qui te genuere parentes,
PINELLE, antiquis stemmata clara viris.
Verum plus Tyrio, sacroque extolleris ostro.
Quo cinxit magni te pia cura Patris.
Non ego FARNESI, macularim carmine laudes
Obscuro illustres, egregiasque tuas.
Non genus, & proauos ausim celebrare canendo,
Magnanimos reges, Pontificesque pios:
Non bello, domitos Belgas, populosque rebelles,
Non cæsas acies, perdomitosque duces.
Non tua, non fratrum, non PAVLI gesta beati
Ornarim gracili, pertenuique pede.
Tutius ESTENSIS taciti miremur honores
Principis, & largas suspiciamus opes.
Regificum luxum, mentemque, animumq; benignum,
Splendorem insignem, munificamque domum.
Verum illum nobis (heu) mors inuidit acerba;
Italiæ tantum sustulit atra decus.
Aula dolet, lugentque Patres, sanctusque Senatus:
Vrbs gemit amisso semisepulta viro.
Exinctum ploratque Italus, Gallusque patronum:
Hicque vocat regem, sed vocat ille patrem.
O vtinam musis fortuna aliquando tulisset.
Tantum præsidium, subsidiumque meis.
Tunc ego quo Estenses proceres, FERRARIA, quanto
Docta tuos versu concineremque Duces?
Cederet Etruscæ Lodouicus gloria musæ:

B Tassus

Tassus carminibus cederet ipse meis.
Aequarem priscos vates, veteresque poetas:
Aequarem Flaccum, Vergiliumque meum.
Non major Naso, non me, perblande Properti,
Cultior, aut melior, docte Tibulle, fores.
Quae MEDICI *generis, regni quae splendor Etrusci*
Ausit virtutes dicere lingua tuas?
Quid te Sol cernit maius? quid dignius vsquam
Imperio? nil te laetius orbis habet.
Nam licet insignis tua sit fortuna, Iouisque
Aequalis, longe est te tamen illa minor.
Artibus eximijs, maiorum more tuorum,
Magne faue, vates ne sine egere tuos.
Vincis consilio CLEMENTEM, *vince* LEONEM
Doctorum studio, munificaque manu.
Muneribus Tuscas, latiasque ornasse camenas
Non fuerit magni gloria parua Ducis.
At tu Piceni, FARNESI *lumen & vrbis,*
Nomen qui à culta rusticitate capis:
Vt Cicero, vt. Fabius, Piso, reliquique Quirites
Permulti, vt dictus Lentulus inde fuit:
Tu tamen vrbanus cum sis, à rure vocaris,
Omni quòd prorsus rusticitate cares:
Picenos ne temne viros, ne temne poetas,
Summum Piceni, praecipuumque decus.
Tu vero cultus magnus magnae addite Romae
AVXIMI *honos summus, gloria, Galle, noua.*

Piceni

Piceni splendor generis, spes prima tuorum,
Deliciæque Aulæ, deliciæque meæ,
Doctoris prisci nomen, vatisque, fideli,
Coniunctique viri pectore conde tibi.
Quòd rerum dominus tibi se, vitam, atque salutem
Tam cupidè magnus, crediderit que diu;
Et quòd thesauros, argenti pondus, & auri
Ignotum fidei tradideritque tuæ:
Fecit amor notus, probitas insignis, honesti,
Et recti cultrix mens, animusque tenax:
Quòd Perusina colat te vrbs: & tua iussa facessat,
Agnoscatque patrem, pontificemque suum:
Quòdque noui ciues Laureti, mœnia, & ædes
Gaudeat aspectu, præsidioque tuo:
Et velet sacros sidonia purpura crines:
Est factum monitis, consilijsque meis.
His nisi gessisses morem puer, atque Mineruam,
Artes complexus præcipuasque fores,
Non te nunc clarus, summusque Senatus haberet;
Non esset Tyrio murice tecta coma.
Te quòd Romanæ docui primordia linguæ,
Quòd docui vitæ prima elementa probæ:
Quòd meus auditor, quòd discipulusque fuisti,
Dum tenuere tuum Dorica tecta patrem;
Opto tuæ fidei contingere cuncta secunda,
Et non ingratum te, immemoremque mei.
De grege quis magno hic Romam, sed paupere lectus

 Accitus,

Accitus, complet lumine cuncta suo?
Nosco tuum FRANCISCE *virũ doctumq́; bonumq́;,*
Dignum, cui cingat purpura sacra caput.
Queis ego te, SARNANE *colam, venererq́ue poeta*
Carminibus? queis te laudibus astra feram?
Cum nullum carmen, laus nulla aequare tuarum
Virtutum radios sit potis, atque iubar?
Haud dubio regitur FRANCISCI *numine* SIXTVS:
Nempe quod hic fecit, fecit & ille simul.
Ergo ex tot SIXTVS *cum legit millibus vnum,*
Legit te summum numen vtrunque patrem.
Praebe igitur tanto dignum te munere, dignas
Suscipe te curas, Cardineoq́ue viro.
Quodq́ue facis, doctosq́ue homines, patriosq́; poetas,
Picentesq́ue tuos dilige docte Pater.
Virtuti, ingeniisque faue, quando ista tulerunt
Te bona ad ardentis sidera celsa poli.
Quid memorem vitamque piam, moresque pudicos
Asculi Pontificis, Cardineique patris?
Miratur doctum pectus, linguamque disertam,
Miraturque fidem Martia turba viri.
Ac licet ille suis virtutibus auxerit Vrbem,
Atque orbem, & Patres splendidiore face;
Quòd tamen eximio numeretur in ordine, iactat
Factum Pontificis munere, amore fide
Quid te ROBOREAE *claro de sanguine gentis*
Ortum, Taurini Praeses ad astra feram?

Non

Tarquinius

Non ne refers, vnde es, QVARTI praeconia SIXTI?
Nonne eadem virtus, numen idemque tibi?
Sors eadem meritis vtinam contingat eisdem,
Teque boni perament, permetuantque mali.
Non ego tam fuerim demens, vt carmine inerti
Ausim alios cunctos enumerare Patres.
Quis non in numero est illo pietate, fideque
Aptus, qui terris imperet, atque polo?
At vos quis taceat Firmanæ sidera gentis,
In quibus est omnis spesque, salusque mea?
Cur ego vos non magna colam mea numina versu
Inculto, ad cœlum nomina vestra ferens?
Nō MATTHAEVCCI, *nō te* OTTINELLE *tacebo:*
Non erit indictus RICCIVS *mihi.*
Quis Constantinum tacitum, Argolicumque relinquat,
Argolicum columen, dimidiumque mei?
Argolicum carum Phœbo, carumque camœnis,
Quem nunc imperio Gallica terra tenet.
Te quæcunque habeat pars orbis, nobilis heros,
Magna Senectutis spesque, decusque meæ,
Viue mei, nat æque memor, quæ te auspice, pulchro
Est fratris nato nupta puella tui.
Quæ sibi non de te Laurentia filia spondet?
De te quæ non vir nunc sibi sperat amans?
Illa noua poterit prole, & reparare ruinas,
Et fulcire tuam posteritate domum.
Annuat omnipotens votis, precibusque benignus:

Et

Et faueant SIXTI *numina dextra suis.*
Spes ille ad pulchras nos tollens, credidit vni
Et fidei Gallos, ingenioque tuo.
Est via virtuti patefacta illustris: honores
Illa tibi ad reliquos certa parabit iter.
Qui te hoc imperio ornauit, maiora daturus
Est idem meritis munera sponte tuis.
Peste premi, & bello scit te pater ille benignus,
Scit non exigua te laborare fame.
Inter mille tuam videt ille incommoda sortis
Virtutem aduersæ fulgere nempe pius.
Talis erat Curius; non te deformat egentem
Pauperies, clarum sed facit illa magis.
Gallorum Regi pro relligione probetur,
Lætatur SIXTVS *, quòd tuus iste labor.*
Cara est principibus Gallis fidisque, bonisque
Insignis virtus, & tua summa fides.
Quàm fortuna sinit, passu isto ad sidera perge
Lætior, atque heros maxime fide tibi.
Debita nam pulchrorum operum mercesque, quiesque,
Contingit magnis non nisi sera viris:
At tu Francisci, & Firmi; FRANCISCE, *minorum*
Par spes, æqualis gloria, parque decus:
Ad tam præclaros titulos accitus, amoris
Maxima perueteris signa sodalis habes.
Est illi curæ dilecti nomen amici:
Auxit namque nouo gratus honore caput.

Magna

Magna dedit; maiora parat sed tradere; dexter
Persoluet meritis præmia pulchra tuis.
Tu vero non ignotum complectere vatem;
Et musis hominis, carminibusq; faue.
Annuat, & nutu firmet mea vota benignus
Iuppiter, & voces audiat ipse meas:
Et iubeat senio infirmas producere vires,
Effugere & sortis fata maligna tuæ:
Scindere nubeculam, quæ te circumuolat atra,
Murice dum videam tempora cana premi.
Quid fieri MELIORE *meo vel amantius orbe*
Toto, vel melius, candidiusque potest?
Non est oblitus cari, veterisque sodalis,
Doctoris non est immemor ille sui.
Nullus honos mores corrumpere, nulla pudicos
Illius insignis sors vitiare potis.
Iure igitur Marci suscepit Episcopus ædes,
Et populum, dicat cui pia iura pater.
Ac licet hæc grati sint maxima munera SIXTI:
Sunt virtute tamen dona minora viri.
Vix est in tota, me iudice, dignior aula
Alter purpurea, cardineaque toga.
Huc mihi si, Antoni, dabitur te cernere vectum,
Cedent lætitiæ gaudia cuncta meæ.
Eruere è tenebris tunc murice comptus amicum,
Atque inopi poteris ferre benignus opem.
Tunc capient altam cultu mea carmina Romam;

Tuncq;

Tuncq; legent pueri, nostraque scripta viri.
Tanto ego præsidio fultus, factusque vel ipso
Me maior, SIXTI grandia gesta canam.
Per te Pontifici summo insinuatus habebor
Dignus, cui cingat laurus amica comas.
Non tu versiculis nostris indictus abibis,
PALLOTTE, ingenti relligione grauis.
Es mihi nominibus multis percarus, in agro
Et quòd Piceno es natus, vt ipse fui:
Et quòd gentilis meus es: nec carmina spernis
Nostra; putas nugas esse aliquidque meas.
Quodque faues musis, & vatibus; atque secunda
Quòd te non nobis sors rapuitque tibi.
Ac quanquam virtus celsa te in sede locauit;
Sunt maiora tamen nempe parata tibi.
Es maior, meritis vt quàm Consentia tantis
Sit satis, atque omnis Brutia terra tuis.
Ipse ego te ornatum, diuino concitus æstro,
Purpureoque tuum tegmine cerno caput.
Sunt vates, & vera canunt persæpe poetæ,
Nec quicquam illorum pectora diua latet.
Ista est relligio, & pietas, probitasque, fidesque
Insignis Tyrio murice digna coli.
Illuc sustulerit tua te cum maxima virtus,
Magnus Pontificis cultus, amorque tui:
Ne magnus paruos, ne spernas carmina, vates
Ne temnas, sanctos, egregiosque viros.

Non

Non eſt imperio, non oſtro dignus, honeſtas
Artes, qui princeps non cupit, atque fouet.
Quid reliquos memorē proceres, qui tecta frequentant
Vaticana pij, Pontificemque colunt?
In quibus elucet, velut inter ſidera Phæbus,
PORTVS *Apollineis artibus ille micans.*
Huic cunctæ herbarum vires, cauſæq; latentes
Naturæ, & rerum ſemina cuncta patent.
Non fuit hoc maior Podalirius, atque Machaon;
Non eſt hic Phæbo, Phæbigenaque minor.
Porte tibi incolumem, nobiſque tuere patronum:
Fac ſerues tantum Pontificemque diu.
Aulæ ſi reliquos Romanæ dicere vellem
Præſtantes homines, eximioſque viros;
Defeſſum carmen; defeſſum nempe poetam
Deficeret ſermo, deficeretque dies.
Felices illo, quòd Felix contigit heros.
Patronus, ſtudium, deliciæque Iouis.
Aurea qui feſſis Saturnia ſecula terris
Reddit, & Aſtræam deuocat vſque polo.
Eſt tamen ad ſolium aſcenſus, ſacramque tiaram
Arduus; & longum multa morantur iter.
Lubricus è ſummo; & pronus, ſimiliſq; ruinæ
Deſcenſus, celſa caſus ab arce grauis.
Tutius in paruis poteris conſiſtere rebus:
Nulla quies magnis regibus eſſe ſolet.
Sarcina purpurei grauis eſt oneroſa galeri:

Et premit augustum Lydia mitra caput.
Nauigium, quo maius erit, iactabitur vndis:
Fert æstum melius parua carina maris.
Rebus in exiguis nulla est formido cadendi.
Decidit ILIACVS *Rex, quia magnus erat.*
Qui tamen admiratur opes, miratur honores,
Quemq; suis victis infula sacra capit,
Aut, cui fortunæ semper spirauit amicæ
Aura, ille ancipites audiat ire vias.
Ille petat Romam, ad lætam se conferat aulam;
Magna laboranti spondeat ille sibi.
At, qui cælicolas, aduersaque numina sensit,
Quemque nimis terret sors inimica suis,
Ille colat musis artes, & Apolline dignas;
Otiaque infelix blanda sequatur iners.
Ille suum faciat longum per secula nomen;
Ille etiam SIXTI *fortia gesta canat.*
Ille suo doctos versu delectet amicos;
Ille pio ad cælum carmine pandat iter.
Aulica splendidior sors, sed tranquillior hæc est,
Quæ capitur studijs, maxime Phœbe, tuis.
Tutius hoc vitæ genus est, illustrius illud:
Pauperis hoc, illud principis esse solet.
Altera diuitias vita, & promittit honores;
Altera demissæ plena quietis erit.
Grata quies, iucundus honos; dubia omnia Romæ;
Hic certa; obscura hæc, clara sed illa micant.

In

In diuersa trahunt animum spes, cura, metusque:
Fluctuat in dubijs nostraque linter aquis.

De suo ad Vrbem, Aulamq; Romanam reditu confirmatio.

DISCESSI *Roma inuitus; Picena docentem*
Arua tamen miserum detinuere diu.
Pauperie pressus, ludumque aperire coactus
Deliteo in tenebris immemor ipse mei.
Principibus placui; nunc viuo inglorius, atque
Degener: accendit pectora fama prior.
Non est hic maternus amor, sed fœda iacentis
Mollicies animi, segnitiesque mei.
Frangimur aduersis, fortunæ cedimus; illi,
Victi sæpe malis, mollia terga damus.
Speremus meliora; metum tollamus; amica
Inconstans tandem sorte negata dabit.
Occurret MELIOR *nostris* ANTONIVS *ausis:*
Occurret votis GALLVS *& ipse meis.*
Patroni excipient veterem, fidumq; clientem;
Nec vatem in tenebris vsque iacere sinent.
Forsitan & priscos spreuisse pudebit amicos.
Præclarumque fide, carminibusque virum.
Eia ergo audentes repetamus mænia Romæ:
Pensabit forsan tristia fata bonis.

Illic, quos Tuscas, Latias, Gracasque camenas
Edoceam, lectos aula benigna dabit.
Illic, cui sapiam, placeam, cuique obsequar, illic,
Cui sim prudenti pectore carus, erit.
Quando illic nasci non contigit, vltima vitæ
Expectare libet tempora. Lude Vale.

Ad Illustriss. Marcum Antonium Campanum patronum, ac discipulum.

QVOD *cupiam incolumen, nimium timeamq; saluti,*
Et quòd cara nimis sit tua vita mihi,
Desine mirari: nam tu mihi vita, salusque,
Tu spes, tu nostræ es portus, & aura ratis.
Tu regis in vasto fluitantem gurgite cymbam:
Tu soluis placidis carbasa nostra notis.
Tiphys in Aemonia, tu nostra in puppe magister;
Maximus ille quidem, non minor ipse tamen.
Colchiacas oras, Tanaisque, ac Phasidis vndas
Aectæ Emathius nauta petebat opes.
At mea barbaricas non est aditura carina
Diuitias: aurum non mea corda mouet.
Te peto: tu nobis Pagus es, Pactolus, & Hermus
Auriferi; Attalicas flagitet alter opes.
Nos te, quem colimus, contenti viuimus vno:
Sospite te, nobis omnia læta manent.

Non te patronum immitem fortuna clienti
Obtulit inuito cæca, potensque dea.
Non sors discipulum concessit iniqua magistro:
Vnus habes, multi quod petiere diu.
Me sibi non pauci optarunt contingere claro
Doctorem nati, conspicuoque loco.
Scis, quoties sapiens genitor me in tecta vocaret;
Scis, quanti ignotum fecerit ille virum;
Forte GARIMBERTO *ex veteri, fidoque sodali,*
Quam bonus, & peramans, cum didicisset, eram.
Ille fidem nostram, nostrum narrauit amorem,
Doctrinam, musas, ingeniumque patri.
Ille etiam docuit pergratus, iuuerit altum
Nostra suum quantum cura, laborque ducem;
Murice quòd Tyrio redimitus tempora GADDVS
Miratus puerum, iusserit esse suum;
Quòd Firmo Romam pertraxerit, vsus amore,
Vsus & insigni cum probitate fide:
Quodque suam princeps magnus, castusque salutem;
Diuitias puero crediderit que bono;
Quodque voluptates spernens, capiebar amore
Doctrinæ; cupidus quodque laboris eram.
Hæc quia de bonis patruusque, pater fideli
Ex ore egregij perdidicere viri;
Quærentes, qui vos mores, artesque doceret
Ingenuas pueros, eloquiumque vetus;
Multos Parthenope, multos cum Roma magistros
Offer-

Offerret, vitam præposüere meam.
Non egò diuitias, non auri pondera iacto;
Non ego fœcundi iugera culta soli.
Non mihi Picenis errant in montibus agnæ;
Nec bos attrito vomere scindit humum.
Sum, fateor, pauper; neq; enim mihi fingere magnam
Fortunam potui, quam nec adesse volo.
Illa animum vitiat; vires corrumpit; honestos
Deprauat mores; segnitiemque facit.
Illa animos tollit, fastuque elata superbo
Spernit virtutes, ingeniumque tumens.
Illa supercilio regali hominesque, deosque
Despicit, & luxu diffluit ipsa suo.
Veri ignara boni, somno, vinoque sepulta,
Contemnit sanctos desidiosa viros.
Iactat iners proauos reges, sortemque parentum
Illustrem; in certis muneribusque tumet.
At mea pauperies, & nunquam turpis egestas
Artibus ingenuis pectora docta colit.
Quid summum vatem diuinum fecit Homerum?
Quid te magne poli vexit ad astra Maro?
Nil nisi paupertas, quæ non inimica laboris,
Euolat ad diuos, Aetheriasque domos.
Ennius ingenio vt magnus, rudis arte poeta
Cantarit Latij carmine bella graui:
Res angusta domi, ingeniosa coegit egestas:
Acrius hoc nullum pectora calcar habent.

Illa

Illa animos acuit, pulchrasque attollit ad artes;
Et petit audenti sidera certa gradu.
Illa docet volucres conari verba loquentis;
Exuit immites & feritate feras.
Est humilis; demissa tamen petit alta, pericli
Contemptrix, vitans ocia sola timet.
Aufer diuitias, fuerat qui pessimus olim,
Vir bonus, & sapiens, & bene doctus erit.
Quid nisi barbaricus, TROIANA *opulentia, luxus*
Euertit Phrygij regna superba senis?
Staret adhuc Sybaris, sobria, & si parca fuisset,
Atque suis modicè si foret vsa bonis.
Verum regifico luxu, dapibusque profusis
Iuit in exitium luxuriosa suum.
Nulla fides opibus: quos sors super æthera vexit,
Illos sæpe nocens sternere gaudet humi.
Non cadit ex alto pauper, si decidit; illum
Labentem grauiter nulla ruina premit.
Vita iter est; ad iter non est accommodus ille,
Quem fortunarum sarcina magna grauat.
Iactas imperium, titulis elatus auitis;
Quæ iactas, non sunt hæc bona nempe tua.
Improba sæpe malos fortuna ad regna vocauit;
Sæpe bonos regnis exuit illa suis.
His ego muneribus læter, quæ perdere habentem
Possent? quæque malis sæpius esse solent?
Vlla meam capient fortunæ commoda mentem?

Illius

Illius illecebris illaqueabit amor?
Inficient animum tanta hæc contagia nostrum?
Me sors blanditijs auferet ipsa suis?
Rex ego plebe vocer? vulgo dominusque saluter?
Diues & aurato vellere dicar ouis?
Non mihi sunt tanti fortunæ dona fugacis:
Pauperis vt cupiam nomen abesse mihi.
Nonne fuit pauper sapiens ab Apolline dictus?
Nonne & Aristides, Fabritiusque fuit?
Nonne etiam Curius, quem nulla pecunia vicit?
Qui pauca exiguis iugera bobus arat?
Diceris ipse etiam Romanæ conditor vrbis
Cæspite contectus incoluisse casas.
Paupertas laus est animi non parua supremi;
Rara quòd est magnas gloria temnere opes.
Est mihi par superis, ipsoque vel Hercule maior,
Quem nullus numi sollicitauit amor.
Hac ego non caream illustri quòd laude, patrono
Debueram fido gratior esse cliens.
Quòd non præclaræ iactemus stemmata gentis;
Quòd non illustres enumeremus auos;
Quòd non in nostra reges sint stirpe, decusque;
Quòd non qui tulerit sanguine ad astra domum,
Sed fuerim castis, sanctisque parentibus ortus,
Et tenue egregia sit probitate genus:
An debet fortuna minor tibi nostra videri,
Quàm quæ permultis splendet imaginibus?

Qui sibi principium est gentis, qui sanguinis autor,
Illius est maius, splendidiusq; iubar.
Editus est claris Catilina parentibus, vmbram
Obduxit generi sed tamen ille suo.
Mæcenas atauis, & regibus ortus Etruscis
Non maior Mario, non Cicerone fuit.
Nobilis est, quicunque sua vir luce refulget:
Non, qui virtutis lumine fulget aui.
Lumina sunt Phœbi maiora, minora sororis,
Emicat hæc radijs fratris, at ille suis.
Hæc, quæ tam pleno iactas inglorius ore,
Non tua sunt; verum fortia gesta patrum.
Hi tibi quæsitum potuere relinquere regnum;
Linquere virtutem non potuere tamen.
Mors eadem regem, & regis famam obruit vna,
Sæpe eadem ignaui contumulauit humus.
Non regno splendor, verum virtute paratur:
Fortuna in tenebris regia sæpe latet.
Enitet at virtus semper, semperq; refulget;
Lucidus vt radijs semper Apollo micat.
Quanquam si prima numeres ab origine mundi
Tempora, quiq; omnes præteriere dies;
Degenerem quondam, obscuramq; fuisse videbis,
Quæ nunc imperijs clara propago nitet.
At, quæ nunc humilis, tenebrisq; offusa videtur,
Forte habuit magnos imperiosa duces.
In quacunque igitur commistos stirpe notalis

Agricolis reges, regibus agricolas.
Magna est nobilitas virtus sua cuique; parentum
Gloria in obscura posteritate latet.
Phœbus vt opposita perdit sua lumina Phœbe,
Sic nati vitio gloria prisca perit.
Sanguine quod claro, quòd sis & regibus ortus,
Hæc sunt fortunæ dona superba tuæ.
Quæ tibi concessit sors grata; industria nobis
Si dedit, an nostra est, quàm tua fama, minor?
Quos iactas elatus auos, si fortibus ausis
Aequo, nobilitas cur tua maior erit?
Antiquis opibus, titulis tibi fulget auitis
Regia, quam proaui, quam coluere patres.
At nobis, natis, nostrisq; nepotibus olim
Splendescet nostro nomine culta domus.
Quod nomen nato genitor, prauusq; nepoti
Attulit, hoc tradent nomina nostra meis.
Cumq; duo attollant homines ad sidera diui,
Et faciant claros numina bina viros:
Gradiuusq; potens pater, & Tritonia virgo,
Ille manu, ingenio hæc nomen, & astra parent,
Quæ tibi Mauortis studijs est gloria parta,
A priscis, feret hanc nostra Minerua meis.
Namque feram magnam famamq, decusq; poeta
Ipse meis expers sanguinis, atque necis.
Non ego vulneribus laudem, cœlumq; pararim:
Quæsierit nullum dextra cruenta decus.

Expo-

Expoſcant alij pulchram per vulnera mortem;
Hoſtilique truces aſtra cruore petant.
Vrbes diripiant; euertant oppida; ferro
Cædant & nocuos, innocuoſque ſimul.
At genus illuſtrent noſtrum, noſtroſque minores
Otia carminibus dulcia culta meis.
Otia, quæ innocuam faciunt, vitamque beatam,
Otia perdoctis non niſi grata viris.
Palladis egregijs innitimur artibus; illis
Eſt mihi nempe tuus conciliandus amor.
Illis eſt nomen, quærendaque fama perennis,
Illis me ſtudijs poſſe placere reor.
Artibus hic placeo patruo, placuique parenti:
His (niſi decipior) mox tibi gratus ero.
Quiſque ſuæ ætatis rex dilexiſſe poetas
Dicitur, & ſacros fertur amaſſe viros.
Dilexit Phalaris vatem, culpata Lacæna
Impia cui clauſit lumina nocte breui.
Namque oculos eadem vati laudata recluſit:
Numen idem lucem ſuſtulit, atque dedit.
Sæpe Syracoſium tenuit perſona tyrannum,
Atque cothurnati palla pudica ſenis.
Anacreontis erant Samio iucunda poetæ
Plectra, fides regi, cum fidibuſque chelys.
Te quoque Cecropiæ non vltima gloria ſcenæ,
Euripides, Macedas detinuiſſe ferunt.
Rex Peluſiacus blandum coluiſſe Menandrum

Scribitur; & certe dignus honore fuit,
Carmine Niliaci mirata est aula tyranni
Battiadæ, & vatem regius ornat amor.
Quod discinctus eques Flaccum decorauit Etruscus
Munere Mæcenas, ipse poeta docet.
Grandia diuini testantur scripta Maronis
Augusto Andinum complacuisse melos.
Munere Cæsareo cumulatus honoribus ipse
Silius, & Consul Punica bella canit.
Nonne Titi fratrem mulsere epigrammata vatis
Hispani, innumeris dictaque mista iocis?
Plurima in Ausonium congessit munera Cæsar,
Gallica Romano grata camæna fuit.
At te Regnator Siculæ telluris amauit,
Dantes Etrusci gloria prima soli.
Sæpe tuos teneros PETRARCA *probauit amores,*
Qui tibi Partenope regia iura dedit.
Me quoque perparuum non spernit Roma poetam:
Romanique Patres carmina nostra legunt.
Principibus placui GADDIS, *sub numine in aula*
Viuere me quorum septima vidit hiems:
Consentinus erat; Firmanus Episcopus alter,
Murice contectas gessit vterque comas.
Gratus vtrique fui, ingratus sed vterque poetam,
Iucundumque virum siuit egere suum.
Non me contempsit, CARRAFAE *gloria gentis,*
ALPHONSVS, *patriæ spesque, decusque suæ.*

Hunc

Hunc magnus patruus tulit ad fastigia PAVLVS
QVARTVS purpureæ, Cardineæq; togæ.
Cuius inexhausto crudelia fata dolore
Roma dolet, tristis Parthenopeq; gemit.
Me quoque non vultu notum, sed nomine tantum,
Quam pater optarit, tu mihi testis eris.
Contigerat virtute minor fortuna parenti
Nempe tuo; magnus Rex tamen ille fuit.
Rex est magnus enim, non qui latissima regna
Possidet, & multis imperat ille locis;
Sed qui est imperio dignus magno, atque potenti
Dextra gerat quamuis sceptra minora viri,
Ille, licet paruo, commotus nomine nostro,
Pluris me fecit, quàm faciendus eram.
Sæpius acciuit, promisit commoda multa,
Obtulit & longa præmia iuncta prece.
Ad superos abijt genitor, licuitque nec illi
Ora auido in laribus cernere nostra suis.
Perstat in optatis coniux adamata mariti;
Incipit & scriptis me reuocare nouis.
Cedimus; & victi Picena relinquimus arua,
Et læti capimus cum Meliore viam.
Jamq; Truentini vada pertransiuimus amnis,
Oppidaq; in summis Marsica posta iugis.
Peligni excipiunt; iuuat hic Subnonis aquosi
Mœnia Nasonis cernere prisca mei.
Delectant oculos lætissima rura Venafri;

Delectat

Delectat Stellas, & Pidicinus ager.
Massica fumosis certantia vina Falernis
Ingerit admirans, attonitusq; puer.
Arx Romana placet, placet & Vulturnus, iniquis
Qui siluesa vadis arua latina rigat.
Oblectat Calibus, campóq; propinqua feraci,
Quæ melle à dulci nomina Petra capit.
Ipsa etiam Turris, prisco vicina Teano,
Lumina nostra sua fertilitate tenet.
Campani recreat mentem clementia cæli,
Instaurat vires, ægraq; membra leuat.
Phlegræos miror campos, Capuamq; superbam;
Miror cælicolis, & loca digna Ioue.
Prædia quid narrem felicia, littus amænum,
Parthenope, villas, deliciasq; tuas?
Suspicio Assyrijs pomaria consita plantis,
Et sacras ædes, marmoreasq; domos.
Innumeros cerno proceres, videoq; refertos
Principibus vicos, principibusq; vias.
Quæcunque occurrit mihi fœmina, magna videtur
Illa Iouis coniux, & soror illa Iouis.
Quisque puer Veneri dilectus habetur Adonis;
Insignem ob formam quæque puella Venus.
Quid multis? videor raptus super æthera, cunctis
Virginibus capior, sic capiorq; viris.
Cuncta fauent, nostro lætari cuncta videntur
Aduentu: gaudet mater, & ipsa soror.

Tam

Tam mitis, quam pulchra ſoror Victoria; amorem
Gratatur nobis, teſtificata ſuum.
Quid tua, quid fratris referam modo gaudia verſu?
Occurrunt oculis vndique læta meis.
In primis Fauſtina parens veneranda Columna
Doctorem, & fratrem me iubet eſſe ſibi.
Alpino patruus lætatur ab vſque Tridento,
Magnus doctrina, couſilioque grauis:
Quòd, quem germanus delegerat, ille magiſter
Contigerit fratri, contigeritque tibi.
Protinus eſt veſtri à ſancta doctrina parente
Commiſſa, & fidei vita, ſaluſque mea.
Te ne igitur patiar combuſta inuiſere rura,
Cum ſol ardentes torquet ab axe faces?
Herculei Phœbus cum luſtrat terga leonis,
Cum ſiccat fluuios ſirius, vrit agros,
Ibis in arentes campos non abſque periclo?
Te procul aſpiciet falce reſecta ſeges?
Ipſe leges paleas? fæni tibi cura peruſti?
Te ne feram calamos cernere ſole leues?
Ah potius celerum pereant omne agmen equorum:
Nec ſit, qui lætus pabula guſtat, equus.
Munera ſordentes tractent ſeruilia ſerui:
Tu princeps tantum principe digna gere.
Perſonam impoſuit magnam tibi Iuppitter: illam
Prudentem, ac doctum te bene ferre docet.
Ne tamen aduertas, quid ſors tua poſtulet, ætas
Impedit,

Impedit, ad monitus surdior illa meos.
Vt sis pulchra viris, & honesta monentibus asper,
Efficiunt anni mobilitate leues.
Non, quid conducat, non hoc, quid congruat, auum
Expers consilij, iudicijque videt?
Hæc causa est, quare imperio parere docentis
Cogitur, & mollis verbera ferre puer.
Durum erat, ingeniumque ferox immitis Achilli,
Iracunda manus, mens, animusque grauis.
Phillyrides tractare tamen fera corda magister,
Et poterat validas cædere sæpe manus.
Ast ego discipulum haud potero, dominumq; monere?
Et quæcunque pius dicere iussit amor?
An princeps monitus fidi contemnit amici?
Irrita discipulo verba docentis erunt?
Magnus Alexander quia non hortamina diui
Spreuit Aristotelis, viuit, & astra tenet.
Scipio, discinctos vt bello vicerit Afros,
Fecerunt Rhodij dogmata grata senis.
Hos imitare duces; doctorem dilige sanctum:
Doctrinæ, & famæ consulit ille tuæ.
An nescis, quæ nos cœlestia munera tollant?
Quam faueant cæptis numina larga meis?
Nam me Tyrrhenæ, Graiæ, Latiæque camenæ.
Ad noua dilectum carmina sæpe vocant.
Sæpe etiam plenus diuino numine canto,
De cœlo lapsus quæ furor ille monet.

Sunt


Sunt artes pacis, sunt nobis cognita belli
Iura; nec, ad cœlum qua licet ire, latet.
Rem paruam facies magnam, præcepta secutus
Nostra; nec ignauum, vel rude pectus erit.
Quæsisti ignotum; notum aspernaris; eundem
Amissum flebis forte dolore gemens.
Si tu contemnes, humilem si regia spernet
Parthenope, & musas negliget alta meas;
Excipiet Roma eiectum, spretumq; clientem
Læta suum; lectos, quos doceamq;, dabit.
In tot, quos ibi iam colui, sanctisq;, bonisq;,
Et doctis patribus, principibusq; viris,
Forte aliquis nostras nugas, tenuesq; camœnas
Nonnullo ornabit munere summus homo.
Sed prius obscurus sit sol: sine piscibus æquor,
Stet cœlum; lunæ concaua terra petat:
Quam tibi me rapiat quicquam: restantia vitæ
Addixi domino tempora cuncta tibi.
Sic quicquam monuit; si quicquam dixit acerbum
Lingua, precor parcas, mens mea recta fuit.
Excute corde graues iras, tristesq; furores:
Nam mite ingenium principis esse decet.

IN IO. BAPTISTAE EVANG. LIBRVM SECVNDVM

Ad Faustinam Columniam Cæsaris Maluicini carmen.

PERDITAM ego in vitam ad Faustinam missa Columnam
Forte legens pingui carmina digna cedro:
Carmina tunc veterum manibus versare videbar,
Tam bene compositum cernitur illud opus.
Hinc non dives abest senioris copia Galli;
Nasonis docti mite nec ingenium.
Nonne Tibulle tuum candorem? nonne Properti
Eloquium blandi tale poema refert?
Dispeream, nisi censebam hæc ea carmina vatum,
Florida quos priscis secla tulere viris.
Obstabat cõnexa tamen FAVSTINA COLVMNA,
Quæ clarum Ausoniæ nunc tenet alta decus.
Esse sed hæc poterat MARCI *pulcherrima quondam*
Coniux, quæ columen dulcis amoris erat.
At mox autoris doctus nomenque, genusque,
Vitali & nostro tempore luce frui:
Nil aliud dicam, nisi quod dictauit Apollo:
Cedant temporibus secula prisca nouis.
Nam in multis sparsa olim, hoc cuncta videntur in vno,
Copia, & ingenium, candor, & eloquium.

QVAE



VAE *causa fuerit auctori, lector æquissime, huius libelli, poematisque conficiendi in eos, qui sic matrimonium odere, vt inconcessam Venerem illi præferre non dubitent, & quod eius consilium, quæ sententia extiterit non tam in vita tam fœda improbanda, quàm in legitima, sanctissimaque coniunctione defendenda, ne hominem, eius mentis ignarus, accuses, aut mireris, volo te non ignorare. Cum ille Roma, vbi nullo cum fructu, emolumentoque septem annos adolescens Gaddorum Cardinalium familiaritatem coluerat, fueratque secutus, in Picenum, patriamque reuersus ludum aperuisset, & bonas artes doceret, pueritiam, adolescentiamque ad humanitatem, eloquentiamque informans, atque instituens, forte Ioannis Thomæ Campani, Turris, quam vocant Francolisii, & nonnullorum aliorum in agro stellati opidorum, castellorumque Teano Sidicino, Calibus, Capuæ, Alifisque propinquorum principis, viri tam eruditi, quam humani literis in Campaniam euocatus fuit, vt Marcum Antonium, atq; Andream eius liberos ijs moribus, scientijsque imbueret, atque informaret, quæ pueris, adolescentibusque nobilibus, principibusque dignæ sunt, verum cum domesticæ occupationes, & matris caritas non siuisset tunc illum patria, domoque excedere, accipereque honestissimas, atque vtilissimas, quæ offerebantur, conditiones, mortuo Ioanne Thoma, eius vxor Faustina Columnia, viri*

iudicium secuta, cum non alium probaret filiorum magistrum, atque educatorem, quàm quem vir probarat, ac delegerat, egit cum Petro Antonio viri fratre, Archiepiscopo Hidruntino, Hieronimo Garimberto, Thadæo Gaddo Cardinale, quos ab illo amari plurimum, coliique acceperat, vt sua hominem auctoritate, literis, monitis in Campaniam, ac Neapolim truderent, cogerentque suscipere erudiendos, instituendosque liberos suos: cessit ille tantorum principum, patronorumq; suorum siue precibus, siue iussis non inuitus, seq; ad Faustinam contulit, apud quam cum incidisset forte die quadam in conuiuio, quod illa principes quosdam viros, cognatos suos exceperat, atque inter epulas sermo, ac quæstio, solutorum, quos cælibes appellabant, an maritorum vita esset præferenda, commemorantibus ijs, qui liberam, solutamq; anteponebant, molestias vxorias, illasq; amplificantibus, suscepit auctor matrimonij patrocinium, multaq; tunc dixit contra solutos illos, qui æque castitatem, ac matrimonium odere, pro maritis, siue vt ingenium ostentaret, siue quòd ita decebat sentire virum temperatum, ac Christianum, siue quòd principem feminam, ac patronam suam maritorum sorti, vitæq; fauere animaduertebat; quæ deinceps omnia in hanc, quam ad illam misit, epistolam coniecit, in qua non eos me hercule damnat, qui castè, ac pudicè viuunt, atque ab omni abstinent Venere, si qui sunt eiusmodi, quorum ille vitam cælestem ducebat, ac dicebat, sed illos

accusat,

accusat, qui propterea vxorem non ducunt, quoniam, si quid est voluptatis, si quid dulcedinis, quod ex vxore percipi potest, id ex quauis femina siue libera, siue ancilla, siue soluta matrimonio, ac viro, siue illi alligata, atque adiuncta percipere cum possint, malunt liberi viuere, quàm indissolubili se vinculo astringere, atq; deuincire, & more pecudum, naturali, quam legitima frui coniunctione, cum feminam, qua cum soluti se commiscuerint, si molesta esse cœperit, dimittere liceat, vxorem vero non liceat omnino: quamobrem non castitatem, pudicitiam, virginitatem matrimonio præferunt præclari isti cœlibes, sed stuprum siue cum nupta, quod adulterium dicitur, siue cum necessaria, atque propinqua, sacraq; Virgine, quod appellant incestum, siue cum meretrice, quam nostrates fornicationem vocant, siue cum alia quauis muliere, quæ viro careat, seu libera, seu ancilla, siue cum puero, quod genus immanitatis, fœdissimiq; concubitus præposteram latini Venerem nominant. Hæc auctor scelera, hæc flagitia improbat, non virginitatem, ac castitatem, quam quidem seruare, atque præstare in tanta humanæ naturæ siue fragilitate, siue corruptione, propensioneq; ad libidinem adeo difficile, atque arduum putat, vt non tam humanis viribus, quam diuino numine fieri suspicetur, si quis nullis vnquam (vt nostri loquuntur) carnis stimulis, nullis aculeis libidinis agatur, ac pungatur, quibus agi, pungiq; se solitos ne ipsi quidem sanctissimi,

Deoq;

Deoq́; cariſſimi viri veriti ſunt fateri interdum. Multis itaque rationibus vndecunque conquiſitis, ac collectis, & alijs à neceſſitate naturæ, alijs à voluptate, qua maxime capitur, duciturq́; cum ætas omnis, tum ea in primis, quæ adducendam vxorem putatur aptiſſima, alijs ab honeſtate, alijs à commoditate, atque vtilitate, alijs ab alijs ductis locis, ac rebus hortatur auctor mares, ac fœminas, adoleſcentes, ac puellas ad matrimonij onus ineundum, ſubeundumq́, perdulce coniugij iugum, commoda, quæ illi inſunt, amplificans, incommoda, moleſtiasq́; vel negans, vel minuens, vel penſans, alterius vitæ, quam cœlibem eſſe negat, fœditates, ac turpitudines, peccataque commemorans, docens item ſanctè, ac pudicè matrimonium colendum, prudenter deligendam, amandamq, fideliter coniugem, & ab omni labe, corruptelaque ſeruandam: quæ quidem de illicitam Venerem matrimonio præferentibus hominibus auctoris noſtri ſententia niſi Ciceroni probata eiſdem de cauſis foret, profecto non monuiſſet in legibus Cælibes eſſe prohibendos, vbi cœlibes (quod latini facere ſcriptores conſueuere) non caſtos, pudicos, virgines denique credendum eſt eloquentiſſimum oratorem, legiſlatoremque prudentiſſimum nominare, ne Veſtalium virginitatem improbare, caſtitatem, pudicitiamque è ciuitate eijcere, tollereque videatur, ſed eos, qui turpioribus dediti libidinibus ſolutam, ac liberam matrimonio vitam non verentur ſanctiſſimo vinculo anteferre.

ferre. Quod nisi item Metellus Numidicus probasset, non grauiter in oratione, quam ad populum habuit Censor de ducendis vxoribus, adhortatus Quirites esset ad matrimonia capessenda. Idem nisi Anconitano senatui placuisset, non esset municipali eorum iure, legibusque statutum, vsque vetusto primariæ agri Piceni ciuitatis prudentissimè confirmatum, ne cui, qui se matrimonio nunquam obstrinxit, pateat aditus ad publicum consilium, publicasque dignitates, atque honores: ne magistratibus, ne muneribus fungatur is ciuis, qui vxorem non duxit: quòd viderunt prudentes illi patres ciuitatem saluam esse sine matrimoniorũ frequentia non posse. Quamobrem, lector optime, vt libellum hunc æquo animo legas, & quæ in eo dicuntur, omnia in bonam partem accipias, poeta tuus, qui æquè te iuuare studet, à nefarijs abducendo libidinibus, ac delectare ad honestissimam matrimonij voluptatem hortando, te etiam, atque etiam rogat. Vale.

In

In eos, qui in concessam Venerem matrimonio præferunt ad Faustinam Columniam.

LIBER SECVNDVS.




VICVNQVE *extollit demens præconia vitæ,*
Quæ probat externi gaudia falsa tori:
Contemptrix thalamique sacri, tedæque iugalis,
Improba, tartareis excrucietur aquis.
Vnda tamen fugiat; fugiant pendentia poma;
Poma fame excrucient, enecet vnda siti.
Aeternasque luat magnæ, ceu Tantalus alter,
Pœnas stultitiæ, nequitiæque suæ.
Sisyphium repetat saxum; silicemque cadentem
Pertimeat; diras viscere pascat aues.
Illum Tisiphone, colubrisque armata Megæra
Torqueat; ardentes adijciatque faces.
Denique quicquid habet pœnarum erebusq; chaosq;,
Quicquid & inferni regia cæca Iouis,
Vexet, agat, mirisque modis exerceat illum,
Qui non connubium iudicat esse bonum.
Illum etiam superi exagitent, odijsque fatigent,
Præfert qui sancto furta nefanda toro.

Verum,

Verum, qui casto, & cœlesti captus amore,
Oscula, femineas illecebrasq; fugit;
Nec cupit vxorem, aut natos, carosq; nepotes
Cernere perpetuæ virginitatis amans,
Ille Deo est similis, superis par ille beatis;
Ille est cœlicolis annumerandus homo.
Talis erat Paulus princeps speluæ colentum,
Quæq; virum est illum turba secuta ducem,
In quibus à Domino deducta voce vocatus
Heros permagnum nomen Iberus habet.
Casta cohors imitata patrem, Dominumq; pudicum,
Amplexus nescit, deliciasq; nurum.
Emicat in puro numero Franciscus eodem,
Illius & comites, omnis & ordo minor.
Hos monachos dixere patres veteresq;, pijq;
Viuant quòd thalamo, coniugioq; procul;
Gaudia nec curent Veneris, diuina tuentes,
Allecti æternis, ætherijsq; bonis.
Felices homines, si mente, & corpore mundos
Nullus amor tangit, nulla libido mouet.
At, quem tanta boni haud legere ad munera diui,
Quemq; inconstantem forma, Venusq; capit;
Is mihi, si Idaliæ contemnat munera Diuæ,
Non vir, sed ferrum est, Tænariusque lapis.
Ille mihi rupes, ille est Marpesia cautes,
Ille est è saxis natus Hyperboreis.
Non homo, sed truncus, non vir, sed Caucasus ille est,

F Qui



Qui cupit in vacuo ponere membra toro.
Nam si quem nunquam mortalis forma pudicum,
Et nunquam castum sollicitauit amor,
Aut ille est adamas, aut ille est Hercule maior;
Aut Rhodope, aut magno est fortior ille Ioue.
Lenior est illo tigris, genus omne ferarum
Mitius, humanos non habet ille modos.
Qui lectum ignaui sedem putat esse soporis,
Viuentis tumulum nominet ille torum.
Segnibus è stratis qui nil petit, ocia præter,
Ignorat thalamus gaudia quanta ferat.
Soluere qui mentes curis, & membra labore
Fessa graui tantum molle cubile putat;
Ille quidem nescit, quam non sit parua voluptas,
Quam non exiguæ lætitiaque tori.
Rusticus est, quicunque loci non omnia nouit
Commoda; nec didicit, quot bona lectus habet;
Est aliquid vires placida reparare quiete:
Fessaq; iucundo ponere membra loco.
Gignere sed multo est maius, Speciemq; tueri,
Concessæ Veneris muneribusq; frui.
Mortales miserata, torum natura parauit:
Diuina lectum strauit & ipsa manu.
Alma etiam Veneris nato, Veneriq; dicauit
Mollia cum thalamo stragula picta suo.
Ad lectum cupidumq; virum, trepidamq; puellam
Illa eadem ducens, talia verba dedit.

Femina

Femina nata viro es: mas ortus & ipse puellæ es;
Vt iuncti egregium perficiatis opus.
Deest aliquid tibi mas, aliquid tibi femina; neuter
Estis homo, totum reddet vtrunque torus.
Quare agite vnanimes hominis coniungite partes
Corpora, rusticitas sit procul, atque pudor.
Haud mora: lectus adest Hymenæus, & oscula iungi
Imperat, & femori conscruisse femur.
Arbiter omnis abest; cupidi faciatis vterque,
Quod locus, & tempus, quod monet alma Venus.
Hæc mihi, cur sponsis cupidis, lætisque pararim
Læta torum vobis, maxima causa fuit.
Sic ait alma parens rerum; vos dicta probastis,
Numina connuby, Iuno, Hymenæe, Venus.
Vos igitur iuuenes, mala quos lasciuia vincit,
Et quibus à nuribus non placet esse procul,
Quærite, quæ pulchra faciant vos prole parentes;
Quærite, quæ tradant nomina grata viri.
Tu quoque, virgineo quæ non contenta cubili es;
Queq; cupis mater dicier, atque nurus:
Delige de cuncta iuuenum, magnaq; caterua,
Lætum coniugio quem cupis esse tuo.
Fac, ne te capiant alieni gaudia lecti,
Vxorique suus præripiatur amor.
Nube volens stabili perpulchra puella volenti
Fædere, quem frater legerit, atque pater.
Vtere iudicio virgo male sana tuorum;

Ne te decipiat lumine cassus amor.
Multa oculis finget, voce & simulabit amator:
Se captum forma dicet & ipse tua.
Omnia promittet, iurabit cuncta; verentem
Vt te pollicitis ad sua vota trahat.
Ipse tuo tamen ex omni dignare cubili
Agmine, qui vxorem te velit esse suam.
Horre furtiuos, inconcessosque hymenaos,
Externi amplexus, concubitusque viri.
Ne quando turpi dicaris nomine pellex,
Aut grauis obscænam fornicis vmbra notet.
Ille tibi placeat coniux, placeatque maritus,
Qui fuerit sapiens, & probitatis amans.
Præcipue si gentis honos commendet honestæ:
Nec sit deformi corpore, mente leui.
Sunt nati patribus similes: delecta propago
Nascetur lecto coniuge virgo tibi.
Ne te præstantis fortunæ munera tangant:
Illa fauet prauis, sæpe maligna bonis.
Ne iuuenem senior ducat; grauiorque puellam,
Neue velis puero nubere adulta viro.
Sint anni æquales, sit par fortuna, genusque:
Inter inæquales non bene viuit amor.
Non vir, sed dominus; maior vult esse maritus
Vt regnet, sperni se putat ipse minor.
Hinc lites, hinc perpetui discordia lecti
Nascitur, hinc odium, iurgia, rixa tenax.

Dilige dilectum, & coniux venerare maritum;
Vxorem vt constans ipse maritus amet.
Non poterit vultus non obseruare colentem,
Dilectus dominam non redamare suam.
Non nisi magnus amor, magnum mercatur amorem:
Et cultus precium non nisi cultus erit.
Obsequere, obsequio flectes, vincesq; fideli.
Crede illum partem, dimidiumq; tui.
In partes nux vna duas dissecta, redibit
Mox eadem, partes si coiere simul.
Partibus ex illis neutra est nux plena: sed vnam
Coniunctæ reddent, conficientq; nucem.
Altera sic hominis mas, altera femina pars est:
Alteraq; alterius poscit, & optat opem.
Femina agro est similis, similis mas ipse colono;
Postulat agricolam semina lætus ager.
Ipse quoque est agro lætus, gaudetq; colonus
Vbere, qui largas pollicatur opes.
Maiores nobis vires, audacia maior:
Alterius sexus vis, animusque minor.
Nempe mares petimus per mille pericula, partas
Ipsa domi deses femina seruat opes.
Illa parit, nobisque suos alit vbere natos:
Illa domus mater sustinet omnis onus.
Nequicquam natura nurus genuisset amica,
Si posset nuribus vita carere virum.
Dextro conspicias orbatum lumine mundum,

Si

Si nullas matres orbis habebit iners.
Aspicies sine sole dies: sine lumine Phœbes
Cæca fluet tenebris nox ad operta caput.
Femina si pereat, natura peribit & ipsa:
Quaque illam perimet, tollet & hora marem.
Matribus extinctis essemus inertia cuncti
Corpora mortales, & simulacra virum.
Omnia squallerent, desertaque cuncta iacerent:
Luctus, & insignis mæror vbique foret.
Donec Roma fuit cælebs, caruitque puellis,
Romanique nurus non habuere lares:
Publica nulla recens, priuataque gaudia Roma
Sensit, & in tota nil fuit vrbe ioci.
Ante puellarum prædam, raptasque Sabinas,
Quas dedit vxores Romulus ipse suis;
Mæstus erat populus, mæstus cum rege senatus,
Triste forum, in primis curia tristis erat.
Verum post raptas faciles sine more puellas,
Gustata socij commoditate tori,
Prælia sunt cum finitimis suscepta libenter:
Proque sua bellum coniuge quisque gerit.
Proijce tela pater, vir proijce tela; salina
Exclamat: genero parce socerque tuo.
Altera tunc acies vxores, altera natas
Admirans, tela hæc, & iacit illa procul.
Ipsæ, armis positis, pacis scripsere sabinæ
Fœdera grata patri, fœdera grata viro.

Ex templo Curibus paruus migratur in Vrbem:
Romaque tunc populos accipit vna duos.
Gratia ea est facti præclari reddita: ab illis
Romula perpetuum curia nomen habet.
Nulla viris igitur magis est optata voluptas,
Nulla magis iuuenes corripit, atque senes:
Quàm quæ percipitur formoso ex ore puellæ:
Illa vel inuitos, attonitosque rapit.
Troilus occiderat, ter traxerat Hectora Achilles,
Iamque erat excidio Troia propinqua suo:
Reddendam Rex ipse tamen negat esse Lacænam:
Formoso senior corpore captus erat.
Restitui monet Antenor · monet ipse Erycinæ
Filius, excindi ne sua regna sinat.
Ille tamen perstat, certus prius omnia ferre,
Reddere quàm Græcis, Tyndaridemque viro.
Sic pater, atque senex Priamus sequiturque probatque
Errorem nati, iudiciumque sui.
Monte sub Ideo cum tres sua corpora diuæ
Nudarunt Phrygio conspicienda viro:
Obtulit ingenium Pallas, Saturnia regna:
Sed sunt cum diuis dona repulsa suis.
Pulchra Mycenæam Venus obtulit vna puellam,
Quæve docet cerni possit & arte rapi.
Vtque moras tollat: parui non parua laboris
Dux, Pari, ne timeas, mater Amoris ero.
Protinus his paucis lata est sententia verbis.

Ipsa

Ipsa meis oculis plus Cytherea places.
Scilicet ingenio, & regnis prælata puella est,
Summi consilio, iudicioque viri.
Magna est vis Veneris, magnum quoque numen Amoris:
Obsisti haud superis, numinibusque potest:
Ni nos ipse iuuet summi regnator olympi,
Et fragiles firmus roboret ille pater.
Cedimus assidua infirmi prurigine victi:
Succumbit veteri nostra libido malo.
Tros fuit Aeneas fortis, iustusque, piusque:
Sed tamen euicit Punica forma ducem.
Quem non vis hominum, quem non superasse deorum,
Captiua victus dicitur esse sua.
Sæpe acies Phrygias dare terga coegit Achilles,
Atque vni vidit cedere mille sibi.
Quem non mille duces, Lyrnessia virgo subegit:
Concedis Veneri Mars quoque sæue tuæ.
Iustior armorum nulla est, quàm femina, causa:
Illa trahit fortes ad fera bella viros.
Quot validi cecidere duces pro coniuge Atridæ?
Quot pressit natos illa ruina Deum?
Est pro te Pallas, pro te, Lauinia, Turnus,
Est cæus Lausus cum genitore puer.
Per flammas, per tela vxor quærenda pudica est:
Illa magis, quæ sunt parta labore, placent.
Quis pro formosa vitabit coniuge bellum?
Proque illa metuet vulnera sæua pati?

Pro

Pro boue cum lecta haud dubitent pugnare iuuenci;
Pro cane dilecta se lacerare canes?
An non suscipient pulchra pro virgine bellum,
Miscebunt acies, arma gerentq; viri?
Multa potest (mihi crede) aurum, sed plura puella:
Hæc duo vel superos tangere posse reor.
Amphitryoniadem, qui cuncta pericula vicit,
Eurytinatæ succubuisse ferunt.
Sic, quem non monstra, aut maries, non pondus olympi
Terruit, Oechalia virgine victus abit.
Te quoque (pro pudor) innumeræ vicere puellæ
Iuppiter, æterna qui regis astra manu.
Quem nunc virginibus pudeat cessisse superbis,
Post victum Alcidem, perdomitumq́, Iouem?
Ausit quis vitam non appellare beatam;
Quæ regi est superum vita probata Ioui?
Quam passim cupidi diuiq́, hominesq́; sequuntur,
Quæ pecudum gignit, seruat & omne genus?
Tempore cuncta breui quæ duratura fuissent,
Sic semper viuunt, interituq́; carent.
Insigni est feritate leo, truculenta leæna;
Hanc tamen, atque illum iungit amore Venus.
Tigribus Hircanis nihil est immitius, altis
In siluis miscent corpora sæua tamen.
Quæ vitam seruat, vera est ea vita; tuetur
Coniugium vitam, coniugiumq; genus.
Quæ vitam perdit, nulla est ea vita; remotis

G Matri-

Matribus, atque viris, vita, genusque perit.
Femina dimidium maris est; mas ipse puellæ
Altera pars: sexus mancus vterque foret,
Ni nobis illas, illis nos alma iugasset
Natura, & sanctus conciliasset amor.
Quare, qui exoptat pulchram, mollemque puellam,
Ille optat partem, dimidiumque sui.
Odit qui contra pulchram, mollemque puellam,
Ille odit partem, dimidiumque sui.
Altera pars vrbis; pars altera femina vitæ est,
Altera parsque domus, altera parsque tori.
Perficit illa vrbem, vitamque, domumque, torumq;:
Quodque opus est maius, perficit illa virum.
Quid referam, nobis quæ det solatia? quamve
Adiuuet? & vitæ commoda quanta ferat?
Quid memorem placidas noctes, solesque serenos?
Grataque quid iuueni tempora, grata seni?
Dulcis, & optata est, seu sit fortuna secunda;
Seu nobis auram deneget illa suam.
Quid dulces natos, thalami quid gaudia dicam,
Oscula, complexus, aptaque verba loco?
Quid duplices animas, geminataque corpora? & altè
Quid porphyriacis fixa labella genis?
Si dixisse iuuat; quæ sit fecisse voluptas?
O mihi sic vitæ tempora cuncta fluant.
Vxorem multi fugiunt tamen, atque recusant
Arctum coniugij, vincula sacra, iugum.

His ego, si sacris præsunt, ignosco; profani
Sin sunt, ignauis parcere nemo velit.
Esse Sacerdotes castos decet, atque pudicas
Vestales: nubat cetera turba nurum.
Humanis etenim curis, culpisque carere
Debent numinibus corda dicata Deum.
Corpore pollutus, pollutus mente Sacerdos
Ne velit, aut puros audeat ire deos.
Nascimur ad prolem reliqui, speciemque tuendam,
Nascimur ad tedam, coniugiumque viri.
Ipsa ad idem est munus quoque femina nata, libenter
Ut nurus, vtque vxor, mater vt esse velit:
Hinc fit, vt hæc hominis pars sit mas, femina vt illa:
Ad prolem sexus non satis vnus erat.
Oblatum tamen à superis, magnaque parente
Officium fugiunt agmina magna virum,
Causa fugæ est; tacitus quod iurgia ferre maritus
Nonnunquam vxoris cogitur ipse suæ.
Xantippe ah quoties ausa est pulsare maritum
Ah quam sæpe suum trudere iniqua domo.
Vxor auara virum te te Amphiaraë Eriphyle
Prodit, & ad certam cogeris ire necem.
Aegisti occidit telis Agamemnona coniux,
Cædere quem Phrygij non potuere duces.
Vos immane nefas sæua quoque Belides ausæ,
Nocte vna patrio cæditis ense viros.
Seruat Hypermnestra de tot modo fratribus vnum;

De tot germanis vna reperta pia.
Sunt, & quos arcet ducenda à coniuge egestas,
Et res parua, timor, ne satis esse queat.
Ne, quos suscipiunt, natos nutrire verentur,
Vt possint opibus, diuitijsque suis.
Ne, qui auibus curant, superi, qui piscibus e cam,
Destituant homines, impia turba timet.
Ex patre quam multi sunt reges paupere nati?
Quam multi obscuro, pertenuique loco?
Ad solium persæpe iuri tolluntur egeni:
Abditus in tenebris ocia diues amat.
Causa est paupertas virtutis maxima: tollit
Crebro illa angustos ad pia sceptra viros.
Quis prudens, sapiens, fortis, nisi pauper? agendis
Quis melior rebus? iustitiaque prior?
Ergo ne exiguæ thalamo, sortique iugali
Fortunæ officiant, resque pusilla domi.
Viuet ope ingenij, cui rem fortuna negauit:
Artifici viuet subsidioque manus.
Nonnulli oderunt vxoria nomina, rara
Quòd seruet casti femina iura tori.
Quòd multæ fallantque fidem, prodantque maritos,
Quod plus furtiuos concubitusque probent:
Quodque suis stulte spretis, aliena sequantur
Commoda, nec metuant crimen inire graue,
Et quòd ducenda sapiens de coniuge doctor
Consultus, dederit talia verba monens.

Pulchra est communis, deformis pœna futura:
Neutra potest animum non cruciare tuum.
Te ne hæc, quæ à multis iactantur, inania terrent?
Hæc animum poterunt vana mouere tuum?
Non est deformis communis, pulchra futura
Supplicium: tuta est vtraque forma viro.
Sæpe etiam casta est formosa, informis at ore
Lætatur corpus prostituisse suum.
Corpore quæ turpi est, turpi est quoque mente; pudico
Esse animo mulier corpore pulchra solet.
Non in fortuna, aut forma, sed moribus omnis
Est pudor, & vitæ gloria casta piæ.
Inter vtranque tamen speciem tutissima forma est,
Quæ decet vxorem, quæque placere potest:
Quam si formosam non est fas dicere, certe
Nequaquam turpem dicere iure potes.
Non est in vitæ socia, atque vxore legenda
Tam dos, aut facies respicienda proba;
Quam genus, & mores, quam casti, almiq; parentes,
Quàm pudor, atque fides, quam probitatis amor.
Quæ multos capere ore studet, multisque placere,
Vxor ne virgo sit precor illa tua.
Te factura patrem, nec cerni, aut cernere curet;
Sitque domi latitans non nisi nota suis.
Sit facie contenta sua, haud medicamina quærat:
Non illi mendax illinat ora color.
Quod dulcis caro mater fuit ante parenti,

Virgo,

Virgo, quàm duces, hoc erit illa tibi.
His se feminei sexus vitijsque, malisque
Excusat, quisquis gaudet adulterijs.
Et mauult liber cum crimine degere vitam,
Subdere quàm sancto colla superba iugo.
Hæc sibi proponunt, his se aiunt nolle maritos
Dicier, his cælant segnitiemque suam.
Sunt aliquæ immites (equidem concedo) puellæ;
Omnibus est verum mens tamen apta capi.
Multæ blandicijs, multæ vincuntur amore:
Obsequio cunctas flectere nempe potes.
Difficiles pateris fratres, matrem, atque sorores,
Difficiles socios, difficilemque patrem.
Cur non vxoris mores patiare procaces;
Ut durum exemplo te ferat ipsa tuo?
Consule cuncta æqui, quæ dicit amantior: aufer
Irarum causas, dissidijque bonus.
Obsequere in multis, & molli parce, fidelis
Si sit, naturæ, si sit & vxor amans.
Sarcina nulla grauat, modo sit dilecta, ferentem:
Fit leue vel magnum, si bene fertur, onus.
Cum tamen vxores paucæ inueniantur acerbæ;
Sintque suis faciles maxima turba viris:
Cur potius timeas, quàm speres; gaudia multa
Præcipuè cum sint, non nisi rixa breuis?
Instauretque leuis magnum discordia amorem,
Ambobus reddens oscula grata magis?

Sed

Sed fuerint aliquæ vxores prauæ, atque proteruæ,
Iurgia iactarint, prodiderintque viros:
An fugies ideo genialis gaudia lecti?
Decedesque senex, & sine prole miser?
An non suscipies, dulcissima pignora, natos;
Quòd natos genitor perdere quisque potest?
Ip e tuis manibus rescindes stamina vitæ
Cara, quòd est multis vita referta malis?
Multi naufragium nautæ fecere, carina
Sed tamen æquoreas plurima sulcat aquas.
Sunt bello capti multi, sunt agmina cæsa;
Castra tamen multos, & fera bella iuuant.
Nulla est, quæ prorsus careat discrimine vita;
Nec cæcas habeat, præcipitesque vias.
Viuimus in rebus dubijs: atque omnia nostra
Sunt bona mista malis, sunt mala mista bonis.
Tristia sunt rebus lætis pensanda; malumque
Dicendum non est, quod valet esse bonum.
Quanquam triste nihil, nil durum, cuncta petenda,
Cuncta optanda diu teda iugalis habet.
Non lites facit alternas, non iurgia lectus,
Vnanimes in quo femina, virque iacent.
Non habet ille locus lachrimas, tristesve querelas,
Sed blandas voces, basia, furta, iocos.
Res est sacra torus; primisque parentibus auctor
Fœdera coniugij Iuppiter ipse tulit.
Jamque dies aderat diuini sexta laboris;

Et verbo extabant cuncta creata Dei.
Non dum pacta suum fuerant animalia regem:
Nondum terrenus factus in orbe Deus.
Ille al erat, cuius sunt omnia condita causa:
Quique homo suspiceret sidera, nullus erat.
Protinus omnipotens limo, & tellure recenti
Diuino fingit numine membra viri.
Cœlestemque auram, vitæ spirabile lumen
Afflat, humo tribuens effigiemque Deum.
Vix formatus erat, somno cum lumina pressus,
Sternit gramineo terrea membra solo.
Tunc rerum genitor, summi moderator olympi,
Esse virum solum pernegat esse bonum.
Extemplo illi aperit pectus, costamque reuellit,
Et prima ex illa femina facta fuit.
Namque virum pater ipse hominum, diuumq; creator
Illius auxilio sensit egere Deus.
Lætatur simili, somno excitus ille, figura:
Deque suo factum corpore corpus amat.
Sentio, ait, carnem nostra de carne petitam;
Sumptaque de nostris ossibus ossa placent.
Hæc tibi, Rex inquit superum, concessa marito,
Et dilecta comes, dulcis & vxor erit.
Nequid vos dirimat; nequis vos seperet: arcta
Ipse ego vos iungo conditione pater.
Viuite concordes, insontes crescite: terras
Replete; atque hominum multiplicate genus.

Pars

Pars igitur cum certa viri sit femina, amare
Cogitur vxorem vir sibi quisque suam.
Coniugij leges, & iura tulisse parentem,
Auctoremq; Deum, cura benigna fuit.
Quare, si quis erit, qui vincla iugalia spernit;
Aut si diuino munere abusus homo;
Et fugiat spreto sponsalia numine diuum;
Vxorem aut cædat turpior ipse suam,
Mæchus vt illicitæ Veneris mala furta sequatur,
Atque inconcesso gaudeat vsque toro;
Diuinum quoniam imperium contemnit iniquus,
Ingentes pœnas, perpetuasq; dabit.
Cælibis hanc quicunque fuit, qui nomine vitam
Dixit, ei non mens, iudiciumque fuit:
Illum cælesti voluit si voce vocari,
Expers connubij qui mala furta probat.
Qui longe à cuncta Venere, atque libidine abhorrens,
Ignorat licitos, illicitosq; toros:
Quem nullus mortalis amor concussit, & egit
Transuersum, celebs ille vocandus erit:
Cælestem in terris vitam quòd ducat ab omni
Humana illuuie, femineaq; procul.
Non ego crediderim proauos dixisse latinos
Pollutos tanto nomine quippe viros.
A cælo cælebs fors est sine labe virorum
Dicta, quòd his veluti membra recisa iacent.
Saturnus Cælo genitalia membra parenti

H *Dicitur*

Dicitur irata dissecuisse manu:
Causa latet facti, factum sed fama retexit:
Scilicet & superis fama timenda fuit.
Hinc, qui se diui castrarunt cœlibe lecto,
Nomine tam pulchro turba notata fuit.
Quis nam ad dicendos speciosa vocabula fœdos
Ducat mentis inops, iudicioq; carens?
Quis cæca insanum, flagransq; cupidine pectus
Ausit tam lecta condecorare nota?
Non est, crede mihi, cœlebs, quicunque solutus
Præfert legitimo turpia stupra toro.
Ex hoc nam numero ille lupas, sequiturq; probatq;,
Mercatur noctes, haurit & ære domum.
Hic pueri infando, vetitoq; tenetur amore;
Et mandat sterili semina stultus agro.
Nonnullos ancilla capit: venantur auaras
Muneribus viduas agmina magna virum.
Multis empta Venus, multis furtiua probatur:
Gaudet & incesto sæpe nefandus homo.
Nituntur quidam temerare cubile maritæ;
Incautumq; mali decipere arte virum.
Sunt, & quos iuuat insidijs, & fraude puellas
Fallere, virgineos & violare toros.
Hos qui complexus, hos qui sectantur amores,
Spernunt legitimas, vincula sancta, faces:
Hi sunt, qui iactant se se sine coniuge vitam
Ducere felicem, cœlicolisq; parem.

E quo-

E quorum numero casti, diciq́; pudici
Qui possint, pauci, si bene noris, erunt.
Horum quanta habeat turpis discrimina vita,
Mortalis non vox enumerare potest.
Coguntur primum miseri captare tenebras,
Et noctu prædam quærere, more lupi.
Siue petant viduam, seu quæ coniuncta marito est:
Tentent virgineum seu maculare torum:
Si pater, aut fratres, aut sentiat ipse maritus;
Prædator fædè sanguinolentus abit.
Quæ sit Deiphobus, quæ Aegisthus vulnera passus,
Vatibus ex priscis discere quisque potest.
Rarior extremos peruenit adulter ad annos:
Ante diem crebro tartara cæsus adit.
Hæc multis causa est, cur conuertantur ad ipsas
Ancillas; solita hæc tutior esse Venus.
Verum hinc progenies manat vitiosa nothorum;
Hinc domus infanda posteritate labat.
Adde, quòd hoc hominum genere haud suspectius vllum
Fert tellus castis matribus, atque viris.
Qui tetri in fœda versantur fornicis vmbra,
His homines odijs, his caruere malis.
Non illi inuisosq́; nothos, stirpemq́; profanam
Suscipiunt: meretrix vix parere vlla solet.
Non natos cernunt, non degeneresq́; nepotes:
Non turpi inficiunt nobile prole genus.
Est error similis, crimenq́; affine lupanar

Intrasse, & ganea delituisse diu.
Vt nulla in terris vita est sordentior ista;
Sic nulla & morbos, & mala plura subit.
Est primum iactura grauis facienda bonorum;
Cumq; probo insignis nomine fama perit.
Hinc sæuo miseris tentantur corpora morbo,
Quem pridem ad nostros Gallia misit auos.
Et rubor, & candor malas, faciemque relinquunt:
Pallidaque inuadit buxeus ora color.
Omnia mirifico torquentur membra dolore:
Tabentesque artus pascitur atra lues.
Infectum tabe horrenda scatet omne malignis.
Vlceribus corpus, tuberibusque caput.
Pestis acerba petit fauces, naresque; peresо
Fertur vox duro gutture rauca sono.
Destituunt deforme caput rarique capilli;
Cumque superciliјs horrida barba fluit.
Vertitur in monstrum iuuenis pulcherrimus olim:
Terror & infantum lumina larua fugit.
In tenebris latet inuisus; lucemque perosus
Fila cupit vitæ dissecuisse suæ.
Vtque Philoctetes, vitatur ab omnibus; omnes
Oderunt vitium, tabificamque luem.
Cætera si vellem discrimina dicere vitæ
Obscæna, & versu damna referre meo:
Ferrea vox, linguæ centum, centum ora canentem,
Verbaque deficerent, deficeretque dies.

Contra igitur superos ne pugnes, more gigantum,
Damnans imperium, iudiciumq; Iouis,
Neve almam accuses rerum, culpesq; parentem
Impius, excindens teq;, tuumq; genus;
De multis, quas blanda offert natura, puellis
Delige, quæ patrem, te faciatq; virum.
Heus iuuenes cupidi ad cupidas properate puellas:
Mollia perdulci subdite colla iugo.
Candida candenti pergrata columba columbo est:
Admugit niueo fulua iuuenca boui.
Cum primum conspexit equam per gramina in aruis
Errantem, cupidis vocibus hinnit equus.
Quam læta est vlmo, quam gaudet arundine vitis:
Tam gaudet sponso sponsa venusta suo.
Quã læta est vlmus vite, & quã gaudet arũdine vitis:
Tam gaudes sponsa sponse superbe tua.
Blande veni puer ad tedam, sanctumq; cubile:
Pulchre veni, propera; te vocat alma Venus.
Quid facis ò demens? tua cur bona gaudia differs?
Quid pateris resides segnis abire dies?
Bis septem numeras annos, pubesq; videris:
Sunt tamen in vacuo frigida membra toro.
Consule naturam; quæ sint facienda, monebit,
Si dubitas, rerum nobilis illa parens.
Multas alma parat mater iuuenique, viroque
Illa voluptates, lætitiasque nouas.
Nuda puella cubat, quam cum colludere possis:

Ipse

Ipſe vocat ſegnam te pharetratus Amor.
Pone grauem formoſe puer, iam pone pudorem:
Ad lectum ducit te ſoror ipſa Iouis.
Stulte quid expectas? puer ò quid inepte moraris?
Rusticus ad lectum vult Hymenæe trahi.
Auocat vnde pudor, huc aduocat æqua cupido:
Vt pudet, vtque cupit: ne time, vtrunque decet.
Hanc decet ætatem pudor iſte, atque iſta cupido:
Victus es; ecce iaces; iam bone cede pudor.
Iam poſuit veſtes, thalamumque ingreſſus, honeſtos
Iam petit amplexus: iam noua bella parat.
Os ori adiunge, & pete ſuauia dulcia; dente
Sed laſciue caue pulchra labella notes.
Lucida quot cælo fas eſt ſpectare ſereno
Sidera; quot flores ver habet, atque roſas:
Oſcula ſint totidem, totidem ſint baſia vobis,
Vxorem deceant, quæ deceantque virum.
Iam Venus incenſa eſt, calefactas flamma medullas
Vrit, & ignis edax pectus vtrunque vorat.
Maius opus remanet: vos huc auſpex Hymenæus,
Huc Venus, huc tandem pronuba Iuno vocat.
Non concha eſt ſcopulos complexa tenacius altos,
Quàm complexa ſuum læta puella virum:
Arctius haud hederæ plantas preſſere ſequaces,
Quàm nouus vxorem vir premit ipſe nouam.
Nectaris ex dulci vxoris legit ore maritus,
Hybla parit quicquid, quicquid Hymettus habet.
Perfuſa

Perfusa insolita, & mira dulcedine coniux,
Cælestem ambrosiam carpit ab ore viri.
Cætera quid dicam felicis gaudia noctis?
Oscula sunt sæpe, & sæpe iterata Venus.
Tempora ibi exiguæ sunt tradita parua quieti:
Dicere, quæ vidit gesta, lucerna potest.
Prodit sponsa toro; Zonam discincta pudicam,
Iam de formosa virgine facta parens.
Nausea testatur fœtam, capitisque dolores:
Deficiunt menses, vberibusque tumet.
Esse socer grauidam, & socrus lætantur: at ipsa
Pignore concertans se negat esse grauem.
Lætæ vtero interea maior fit sarcina grato:
Quodque negare cupit, victa fatetur, onus.
Vtque semel vincens compenset damna lucello,
De sexu incerto bella secunda mouet.
Ferre marem certat vir; certat at ipsa puellam:
Vtraque progenies grata futura tamen.
Iamque breuem Phœbe nouies lustrauerat orbem:
Et velox decimam cœperat ire viam.
Tempus adest partus: castis lucina vocatur
Vocibus: optatus nascitur ecce puer.
Quis nunc enixæ, quis patris gaudia, auorum
Quis modo lætitiam commemorare potest?
Sunt lætæ ancillæ, seruorum lætus & ordo:
Est lætus paries, pars quoque quæque domus.
Gratatum veniunt multæ, visumque puellum:

Hæc

Hæc matri similem iurat, at illa patri.
Gratior est prole hæc illi, illa huic; mutuus inter
Consortes tanto pignore crescit amor.
Illuxit tersura fide, & vestigia priscæ
Diuino culpæ lustrica rore dies.
Infans ad templum fertur, longo ordine matrum,
Et puerum ingenti conueniente manu.
Pompa perillustris præmittitur: altera mater,
Alter delectus subsequiturque pater.
Pone salem puer alter habet; gerit alter & vndam:
Delubri in primo limine turba manet.
Exposcunt letique fidem, vitamque parentes:
Quicquid præcipitur, credere vterque parens.
Multa docens, quærensque præit pia verba sacerdos:
Sal ori digitis ingeriturque sacer.
Vascula diuini ex adytis promuntur oliui:
Signaturque infans pollice, rore, cruce.
Numina terna Dei vnius vocat ore minister:
Et caput, & sacra tempora spargit aqua.
Eluitur scelus antiquum, crimenque piatur:
Redditur infanti pristinus ille nitor.
Inditur hinc nomen lecto, pueroque fideli:
Lustratum reuehunt agmina fida domum.
Lætatur mater, quòd natus factus olympo,
Factus sit superis carus, & ille Ioui.
Admouet infanti distentas lacte papillas,
Cunas concutiens, versiculosque canens.

Ille

Ille autem, paruis complexus colla lacertis,
Lallat; & incertos mittit ab ore iocos.
Cognoscit læto risu matremque, patremque:
Huius, & illius gaudet inesse sinu.
Mammam illam vocant, huncq; tatam; pappãq; petenti
Mollior offertur, suggeriturque cibus.
Qui sit verus amor, quæ vera, & certa voluptas,
Nescit, cui non est vlla propago domi.
Nil illum oblectat: sunt illi tristia cuncta:
Amplaque perpetuis lusibus aula caret.
Inde absunt charites; fugit aurea mater Amoris:
Et cum delicijs exulat inde iocus.
Non risus, non blandiciæ, non gaudia in illis
Versantur tectis, non Venerisque puer.
Certus ibi est hæres nullus; fraterque, sororque
Expectant auidi funus, opesque viri.
Effertur nullis lachrimis: mors sera quòd illum
Eripuit, tantum turba propinqua dolet.
Non dum oculos clausit, non dum calor ossa reliquit;
Cum consanguineis dilacerantur opes.
Præsidia ergo suæ firmissima quisque senectæ
Comparet; hæredes gignat & ipse sibi.
Vtque sit & pulchra, & proles generosa, puellam
De pulchris sponsam, nobilibusque legat.
Hanc amet, hac viuat contentus; nulla pudicum
Flamma ala accendat, sollicitetque Venus.
Externos thalamos, aliena cubilia vitet:

Exemplo ne sit proditus ipse suo.
Si non insipiens aliam Menelaus amasset;
Non Ledæa Parin nata secuta foret.
Noui equidem multos peregrino adripere lecto,
Artibus illusi qui periere suis.
Nam custoditos dum tentant fallere postes;
Incustoditos deseruere lares.
Ingens sæpe etiam facit indignatio mœcham;
Quæ quondam semper femina casta fuit.
Dicitur Hypsiphyle seruasse pudica marito
Aesonidæ pacti iura, fidemq́; tori;
Donec Colchiacam prælatam ab Iasone sensit;
Tunc illi iratam par retulisse ferunt.
Sic, quam constantem non expugnasset adulter,
Vxor perfidia est turpiter vlta virum.
Commoditas etiam multas in crimina traxit,
Virq́; sui causam præbuit ipse mali.
Quid, nisi commoditas à stulto oblata marito
Visere Tyndaridem pergama celsa facit?
Non fuit externo credenda: erat hospes amator:
Ignaui pulchram destituisse fuit.
Cura igitur coniux ne te tua prodita prodat;
Vtaturq́; sagax commoditate data.
Aut se desperans magicas conuertat ad artes,
Atque veneficijs te male sana petat.
Impia non philtris, infecta at veste veneno
Sustulit Alciden Deianira virum.

Pecca-

Peccatum tolles, peccandi commoda tollens;
Quæ custodiri se videt, illa timet.
Et timet; &, nequid peccet, cauet; omnibus ausis
Nempe virum pauitans censet adesse suis.
Fac tamen obserues cautè; diffidere nequa
Te non peccanti sentiat ipsa sibi.
Traxit in errores arcta hac custodia multas:
Femina nanque magis quæque negata cupit.
Custodem castum, firmum, sanctumque pudorem
Ipse pudicitiæ non reor esse bonum.
Nam, quæ casta fuit semper, semperq; pudica,
Corrumpi interdum sed tamen illa potest.
Res est inconstans, varia, & mutabilis omnis
Femina, perpetuam non habet illa fidem.
Non facit ipsa (equidem fateor) custodia castam:
Perstat in officio rara puella metu.
Nam casta est, cui mens casta est, animusq; pudicus:
Non quam suspicio continet, atque metus.
Nil tam difficile est, quam custodire puellam
Formosam, multis quæ sit amata procis.
Ferrea turris erat, Danaen qua clauserat acer
Acrisius, fati sollicitusque sui.
Condita prærupti fuit illa in vertice saxi,
Ferreus & paries milite septus erat.
Sed, quo non volucres issent, penetrauit adulter,
Aureus & flauis decidit imber aquis.
Nulla virum solers præstat custodia tutum,

Si coniux illum fallere iniqua velit.
Vixit Penelope bis denos casta per annos,
Inter amatores, innumerisque procos:
Non quia Laertes grauior seruauerit æuo,
Aut illam nutrix, Telemachusque puer;
Sed quia casta suum coniunx dilexit Vlyssem,
Seruauit custos ipse amor, ipse pudor.
Tu vero, quoniam pauci inueniuntur Vlysses,
Seruato vxorem, me monitore tuam.
Ancillas timeas, seruos, fidosque sodales.
Hæc facile incautum fallere turba potest.
Vix bene tutus eris, cum formidaueris omnes,
Vel fore quos castos fasque, fidesque probant.
Quis formidasset cygnum, taurumque? timendus
(Res monet ipsa) tamen taurus, olorque fuit.
Si tibi contigerit, te te vt tua diligat vxor,
Vita beata magis nulla futura tua est.
Non illi diues, non illi pulcher amator
Gratus erit, cunctos effugietque viros.
Non genus, aut ætas, aut gratia flectet amantem:
Non casta externus pectora tanget amor.
Omnis in optato stabit sua cura marito:
Teque volet magno præposuisse Ioui.
Est igitur captandus amor tibi coniugis: vnum
Hoc si tradiderint sidera, tutus eris.
Quanquam hoc non tantum felicia sidera tradent,
Quantum iudicij cura, laborque tui.

Cura,

Cura, laborque breuis fuerit: vis coniuge amari?
Vxorem primus diligito ipse tuam.
Non amor argento, non multo venditur auro:
Est pretium magni magnus amoris amor.
Vis illam seruare fidem? sis ipse fidelis:
Est merces fidei non nisi sola fides.
Quæ faciat, vis, illa; prior facito ipse: cauere
Quæque illam cupies, ipse caueto prior.
Non est immiti, non compellanda minaci
Sermone, aut fœdis exagitanda probris.
Non sunt naturæ temerè exprobranda malignæ,
Fortunæ non sunt obijcienda mala.
Arguit hoc odium: suntque hæc certissima prauæ
Signa voluntatis, non breuis ira furor.
Et quoniam comes est, non est ancilla, fidelis
Si fuerit, nullo cædere iure potes.
Si vero frugi sit; partaque sedula seruet,
Est leuius peccans nempe ferenda tibi.
Sobria si natos curet, viuatque pudicè,
Cunctaque non cupiat visere templa leuis:
Sit tibi cara suis magna hæc virtutibus vxor:
Nunquam displiceat, quæ placuitque semel.
Quòd si quam in culpam illam humana incuria ducat
Interdum; mitem te decet esse virum.
Quæ non decipitur, quæ re non labitur vlla,
Femina non illa est, sed dea lapsa polo.
Cumque homo sis, debes humanam exposcere nuptam,
Non nymphæ, ætheriæ coniugiumque deæ.

Quot-

Quottidie ipse erras, & crebro falleris; & vis
Vxorem prorsus labe vacare tuam?
Illa tui est similis pars, illi parce libenter
Erranti leuius, parcat vt ipsa tibi:
Præsertim grauius cum pecces: sæpius erres,
Atque metu nullo quæque licenter agas.
Ac præcepta licet non sint firmissima nostra,
Vxor vt ignota sit tibi casta domo:
Rara tamen quoniam fallunt, & nulla doceri
Certa magis poteris, iussa sequere mea.
Neu te delectet nocturnum errare per vrbem:
Nec cupias illo tempore abesse domo.
Nullam sollicita; nulli insidiare maritus:
Quæque pati non vis, hæc facere ipse caue.
Sis verbis facilis; blandis, & dulcibus illam
Nominibus vitam, cor, animumque voces.
Post Martis furtum placauit Mulciber iram
Vocibus his facilis pulchra Erycina tuam.
Coniugis iratæ fertur leuisse furores
Pellicibus nutu his Iuppiter astra mouens.
His tibi blandicijs vel frangere saxa licebit:
His etiam infestam conciliare potes.
Cuncta viri impleris cari cum munera, amator
Certior vxori fac videare tuæ.
Est niue, cum cecidit, cera est quoque mollior omnis
Femina: tractanda est molliter illa viro.
Ne te reginam pudeat, dominamque vocare.
Reginam vt credat se, dominamque tuam.

Si

Si se dilectam agnoscet, certabit amore:
Nec vinci coniux se feret ipsa viro.
Dices, obijcient vxoria nomina multi;
Iactabuntque iugum, seruitiumque pati.
Obijciant quid vis: maneat modo casta; libensq;
Obseruet thalamos vxor amata tuos.
Nomine de casto fac sit cum coniuge sermo,
Deq; pudicitia plurimus ore tibi.
Formosam, pulchramq; voces, quæcunque pudica est;
Et quæcunque suum diligit vsque virum.
Mausoli coniux, Carum regina feratur
Laudibus ardentis sidera ad alta poli.
Mireris Cammam, vxorem mireris Vlyssis,
Et quæ Tarquinios expulit Vrbe graues.
Sæpe etiam veris celebretur Portia dictis,
Tristis & extincto Laodamia viro.
Matribus antiquis, & castis adde recentes:
Ne laudem hanc prisci temporis esse putet.
Vrbe tua si qua est pro caro passa marito
Durum aliquid, sæpe hæc est celebranda tibi.
Si qua pudicitia insignis laudatur honesta,
Hanc etiam coram coniuge ad astra feras.
Plus exempla leues animos, & mollia corda,
Quam virtus probitas, fasq;, decusq; mouent.
Sed quid ego hæc doceo, cui nulla est iuncta puella?
Et non dum misero fas fuit esse viro?
Innumeræ tacitum vsserunt, vruntque puellæ:
Et nunc nostra recens pectora flamma vorat.
Sum

Sum timidus (fateor) nimium, nimiumq; modestus;
Sape etiam noster crescit amore timor.
Hæc est nobilior, formosior illa; cubile
Pauperis at diues despicit ista viri.
Dum iacto; & mecum tacitus dum talia verso,
Apti coniugio præteriere dies.
Namque quaterdenos iam iam numerabimus annos:
Fœdat ruga genas, canicieſque caput.
Corpus vt exiguum, sic mens mihi parua tributa est:
Respondet membris mens, animusque meis.
Dum pauidus vereor turpem, timeoque repulsam;
Nobilis est virgo nulla petita mihi.
Hoc quippe est causa, quod adhuc sine coniuge viuam,
Quodque toro frigens nocte, dieque gemam.
Nocturnæ terrent laruæ; perduntque cubantem
Nix, frigus, boreas, & glacialis hiems.
O vtinam FAVSTINA *meos miserata labores,*
Des vitæ dominam, des sociamque tori.
Fausta tuo seruo sis ò FAVSTINA *fideli;*
Et tua dextra meam prouehat aura ratem.
Si dabis vxorem, fueris mihi pronuba Iuno:
Si dabis vxorem, mater Amoris eris.
Da pater vt dicar, gener, & vir nominer; ista
Nomina si dederis, maxima quippe dabis.
Quis cadat innixus firma, stabilique COLVMNA?
Spem facit egregiam nomen vtrunque mihi.
Intonuit læuum: non sunt nostra irrita vota:
Non sinet alta notos ferre COLVMNA *preces.*

Ecloga

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTÆ POEMATVM

LIBER TERTIVS.

Ecloga ad Petrum Antonium Campanum Archiepiscopum Hydruntinum è Tridentino Concilio Romam redeuntem.

Coridon.
Tityrus, Mopsus, Menalcas.

Tityr. MOPSE *mihi dilecte nimis, cui tradita nostri est*
Cura gregis, si vera meas peruenit ad aures
Fama, redit Coridon, pastorum gloria, secli
Quippe sui splendor; melius quo nemo capellas
Montibus in summis, aut in conualle reducta
Lanigerumq; pecus pauit; non dulcius alter
Inflauit calamosq; leues, & carmina dixit.
Mops. Expectata dies tandem, lux læta refulsit
Optatus rediit Coridon, quem rura, gregesq;
Absentem, arbusta, atq; humiles fleuere myricæ:
Illum pastores, illum Galatea vocabat:
Illum sæpe oculis summo de vertice saxi
Quærere Syluanos, agrestia numina vidi.

Ast illum multis lectum è pastoribus vnum
Miserat Arcadiam magnas componere lites
Inter custodes ouium Deus ille Lycæi
Pan summus, curat qui nos, hædosq; , canesq;
Verum vnde illius reditus tibi Tityre notus?

Tityr. *Rettulit hic nobis illum rediisse Menalcas,*
Finibus Arcadicis nostris comitatus ad oras:
Idem commemorat Coridonis Mænala primo
Aspectu, & sacrum valde obstupuisse Lycæum.

Mops. *Quin igitur, donec tondent dumeta capellæ,*
Fronde super viridi recubans, iucunda Menalca,
Diuini exponis Coridonis maxima gesta?
Tantarum gratus rerum mihi nuncius, à me
Præmia digna feres duo buxea pocula; Damon
Tradidit illa mihi, qui fecerat; in quibus, illic
Nocturnum in furem cernes latrare Lyciscam;
Hic pugnare lupum contra pro pinguibus agnis.

Tityr. *A me (nam nobis etiam præconia magni*
Pergratum est audire mei Coridonis) amice
Accipies pulchrumq; pedum, pulchrūq; catellum,
Quem mihi Cyrnæa genuit de matre Molossus.

Men. *Dicam igitur calamo agresti (parere necesse est*
Vestris imperiis) nostris quæ gessit in oris
Mænaliis Coridon. Sed vos, si æquare loquendo
Illum non potero, pastori parcite vestro.
Certamen longum, atq; atrox fuit Arcadas inter,
Num fuerit rectè custodia tradita Pani

A pri-

A priscis ouium pastoribus: omnia iura,
Omnes antiqui mores, ritusq; vetusti,
Illis in dubium sunt omnia sacra vocata.
Quin tantus quendam furor, & dementia tanta
Ceperat, vt contra Panem clamaret ad arma.
Mopſ. *Quis tantum scelus est ausus? quæ tanta libido*
Parrhasias versat mentes, atque impia corda?
Hem teneros agnos cui commendabimus olim?
Cui matres, celeresq; canes, carasq; capellas?
Vnde herbas virides, & pabula læta petemus?
Quis vitare lupos, fures, contagia sese
Speret, præsentis certo sine numine Panis?
Tityr. *Heu quæ mõstra refers: nãq; hæc sunt mõstra Me-*
Non homines, nõ pastores: Nonacria quõdã (nalca,
Terra lupos etiam fertur genuisse priores;
Vrsos, lernæamq; hydra, atq; Erymãthidos aprũ.
Men. *Fert eadem portenta modo, & maiora: sed illa*
Monstra antiqua Deus ferme omnia sustulit ipse
Mænalius claua Herculea: sic dicere Daphnin
Cantantem memini: nunc qua surgentia claua
Tolleret? atq; iterum tristi demitteret orco?
Rursus es Alcide toto quæsitus in orbe:
Inuentus fortis tandem in pastoribus alter
Alcides, claua qui auferret monstra trinodi.
Nam noster Coridon superat validosq; lacertos,
Herculeosq; animos, summo Ioue natus & ipse.
Magna cano; sed vera fero: delectus ab omni

Pastorum numero est Coridon: dimissus ad oras
Parrhasias, subito cunctorum lumina vertit
In se vnum: est illo tristis discordia pulsa.
Nam magni asseruit sanctissima numina Panis
Vnus, & in prima conuulsum sede locauit,
Magnus consilio, pietate grauissimus, atque
Maximus ingenti tum relligione, potensq;
Eloquio, atq; animo inuictus, quo tenderet vnus,
Illi pergebant omnes dulcedine tracti
Sermonis nostri Coridonis: flectere solus
Duratos animos norat, quibus omnibus vnus
Frænum erat, & calcar: quoties, cum diceret, ipsa
Oblita & cytisum, & salices, mirata capella est?
Sæpe etiam vidi, cum terras turbine venti
Perflarent rapidi, Coridone canente, furorem,
Sæuitiamq; omnem deponere, sistere cursus
Flumina lenta suos, rigidas accurrere quercus,
Annosas summis descendere montibus ornos.
Sæpe canes inter medios irrumpere visus
Est lepus, & vulpes, lupus est innoxius inter
Attonitus conspectus oues, audiret vt ipsum
Carmina mira nouis numeris Coridona canētem.
Tityr. *Magna refers, credēda tamē: mihi notus ab annis*
Est teneris Coridon: magnum spirabat ab æuo
Nescio quid primo: quid multa? futurus honestus,
Cunctorumq; sui pastorum temporis vnus
Maximus est visus: nec me sententia fallit.

Mops.

Mopſ. Damætas, docuit ſtellas doctiſſimus Atlas
Quem ſenior, calami, aſtrorum, citharæq; peritus,
Vt vidit canus puerum Coridona, repente,
Mopſe, ait, haud quicq̃ hoc maius labẽtibus annis
Conſpicient terræ: hunc omnis mirabitur ætas:
Hic ſplendore ſuo paſtoribus omnibus altas
Offundet tenebras; hunc tu venerare magiſtrum.
Nam tibi non fuerit numen præſentius vllum.
Huius virtutem primum oppugnare videbis
Fortunam; mox victa manus dabit, atq; fauebit.
Denique (ſi cœli non fallunt ſidera) terris
Illum longinquis redeuntem celſus ab alto
Cæſpite Pan magno plauſu, magnaque benignus
Lætitia excipiet; manibus ſacriſque coronam
Aptabit capiti cõntextam flore recenti,
Sacraq; purpureis ornabit tempora ſertis.
Tit. Damætam ipſe etiam iam de Coridone recordor
His maiora mihi puero prædicere longe:
Quin etiam addebat canum Coridona corona
Cernere ſe triplici, & feſtiua fronde reuinctum,
Extremoſque pijs pedibus ſacra oſcula reges
Figere proſtratos, humileſq; incendere thura
Indos, Aethiopas, Perſas, molleſque Sabæos,
Et Turcas ſacros Latices Coridona petentes:
Vnus, ait, tum paſtor erit, curabit ouile
Iſq; vnum: quamquam nullo cuſtode per agros
Errabunt tuti molles cum matribus agni:

Non

Non stabula audaces fures, non clausa rapaces
Septa lupi irrumpent; scabies non pessima lædet:
Distenta ad mulctram feret vbera lacte capella
Terq;,quaterq; die: haud terrā proscindet arator;
Nec quisquam longo committet semina sulco:
Namq; ipsa, vt quondam, per se feret omnia tellus:
Fontes vina dabunt, & flumina nectaris ibunt:
Ver erit æternum: molles spirabit odores
Omnis ager ridens, lætusq; virentibus herbis:
Purpureæ occurrent oculis violæque, rosæque,
Lilia, narcissus, colocasia, mollis acanthus,
Pastores misti nymphis, cinctique coronis
Et plaudent pedibus choreas, & carmina dicent.
Aurea Saturni felicia secla redibunt.
Men. *O vtinam nostros producat Iuppiter annos:*
Nec vitæ immites abrumpant stamina parcæ,
Vt nostrum videam Coridonem ad sidera tolli,
Tityre tunc felix fueris, tunc Mopse beatus.
Tunc vester pecoris diues, campiq; Menalcas.

Ad Illustriss. Christophorum Boncompagnum Archiepiscopum, Exarchumq; Rauennatem Ecloga.

Daphnis.

Tityrus, Damætas, Damon.

Tityr. ESSE *quid hoc dicam, quòd terras lampade Titan*

Lu-

Lustrat ouans maiore? polo radiantia vibrat
Lumina? lætitiaq; noua circum omnia complens,
Ornatum radijs caput exerit auctior vndis?
Nunquid forte, Iouis proles, Tirynthius astra
Ascendens, pedibus, quem iam suffulsit, olympum
Calcat? & Oetæo veniens de vertice, campis
Phlegreis latè victor, belloque superbus
Confecto, insignis vasta de cæde gigantum,
Ante hilaris ducit lætos patris ora triumphos?
Quis fragor insolitus nubes, atq; æthera bombis
Pulsat? & ingenti valles, montesq; boatu,
Et sinuosa ferit, curuataque littora Dorum?
Audin, vt exploso Cumeri nemus intonet ære?
Audin, vt ingeminent ictus succensa metalla?
Sulphureã, ac piceam vt mittant ad sidera nubẽ?
Damæta viden, vt pauidæ fugere capellæ?
Atq; agni vt trepidẽt, & ad vbera nota parentũ
Concurrant? saltant timidi lasciuius hædi?
Aeriæ vt motent montana cacumina quercus?
Vtq; repercussa horrisonis tremat vnda procellis?
Mugiat omne solum tonitru, flammisq; coruscis?
Iratus pecori Pan ne est, pecorisque magistris?
Pastoresq; Deus male perdere cogitat omnes
Mænalius, vitiare greges, armenta necare,
Gramine prata, agros spoliare recentibus herbis,
Pabulaque inficere? an potius sol lætior, atque
Tormenta horrificis crebro crepitantia flammis,

Lætitiæ

Lætitiæ sunt signa nouæ, rerumque nouarum?

Damæ. *Me quoq; sollicitant hæc, & mea pectora pulsat*
Spesq;, metusq; simul: nec quid sol aureus iste
Se maior ferat, insolito rutilantior igne,
Nec, quid nunc tanto emissi cum murmure cœli
Aere cauo strepitus ferientes sidera densi
Significent, didici: magnum tamen auguror ipsum
Pana aliquid fecisse: iubet meliora Lycæi
Me sperare patris clementia summa potentis.
Verum, quicquid id est, libet ex pastore, citato
Qui gressu ad nostrum properans festinat ouile,
Discere: ni fallor, namque ille reuertitur Vrbe.
Tityre visne vocem procul, vt cognoscere ab illo
Possimus cuncta, & veniendi, exposcere causas?

Tit. *Accessit propius: nostrasq; errare capellas*
Vt vidit, cythisi frondes, floresque salicti
Pascentes, conuertit iter: mihi quippe videtur
Hic iuuenis Damon, puer aut, tua cura, Palæmon.

Damæ. *Est Damon Mopso natus, cui sidera parent;*
Cui volucrum cantus, & præpetis omina pennæ,
Venturiq; omnis sunt cognita tempora secli.

Tit. *Vnde ad nos Damon? quid felix, atq; secundum*
Dicturus, fronte es læta? tua gaudia nobis
Eia aperi, & nostro de pectore deijce curas:
Atque doce, facies cœli quid clara sereni,
Quid Phœbus, decus astrorum, maiore corona
Et caput, & frontem radiorũ comptus, & vnda

Tran-

Tranquillæ, quid læta dies, quid pontus, & æther
Portendant? est ne hæc secli melioris origo
Lux? & principium hinc sumẽt Saturnia regna?
Quid sibi flãmiuomi exposcunt tam sæpe colubri
Explosi, horrisono quatientes astra fragore?
Bellum, an lætitiam? pacẽ ne minantur, an arma?
Damæ. *Pan Deus Arcadiæ, metuunt quẽ Mænala, cuius*
Pastores pia cura sumus, qui pabula nostris
Sufficit armentis, & rura, gregesq́, tuetur,
Ornauit sacra crinesq́, caputq́ tiara
Daphnidis, & viridi redimiuit tempora lauro;
Purpureis dum serta parat violisq́, rosisq́,
Quæ caro imponat capiti. Sic Vrbe reuersus
Narrauit Coridon. Magna, & iustissima multa
Parrhasius persæpe Deus fecisse Lycei.
Mirãdum fertur numen: nihil hoc tamen vnquã
Dicitur aut maius fecisse, aut iustius; ecquid
Daphnide conspexit magis admirabile Phœbus
Clarus, odoratis seu cum festinat ab Indis,
Seu Tartessiaco properat cum tingere ponto
Se, radiosq́ suos? quantum viburna cupressus,
Quantũ alnus procera rubos, humilesq́ genistas,
Eridanusq́ alios fluuios, sol cetera vincit
Sidera; tantum inter pastores eminet omnes,
Deliciæ humani generis, noua gloria nostræ
Aetatis, magnus Galateæ splendor, honosq́
Par superis, Daphnis: quo non præstantius alter

Admouit calamos labris, certare vel ipsi
Assuetus Phœbo; non pastor doctius agnos,
Non hædos melius, non qui, prope fluminis vndas
Dicitur Amphrysi, pauisse armenta tyranni
Aemonij curauit oues, seruauit ab omni
Et scabie, & furum, nocturnorumq; luporum
Insidijs: quare est merito delectus ab omni
Pastorum cœtu, qui pinguia rura Rauennæ
Aemiliæ colat, & Gallis det iura Togatis,
Ut multi obseruent circum lectique, bonique
Pastores; armenta virum bis mille sequantur,
Innumerique greges balantum, & ouilia mille
Agnoscant Dominum; dominum, regemq; salutet
Syluani, Fauniq; omnes, atque omnia ruris
Numina, Nympharũq; chorus, Dryadesq; puellæ,
Naiades, faciles & Oreades, atque niuosus,
Vertice qui surgit pater Apenninus ad astra,
Quicquid agri Adriacas despectat collibus vndas
Daphni, tuo imperio paret; sibi Ariminũ, & ipse,
Exiguas qui voluit aquas; latiumque diremit
A Gallis, Rubicon seruit; tua iussa facessunt,
Qui Rhenũ, Parmãq; bibunt, Trebiãq;, Padumq;,
Quiq; colunt agros Mutinæ, & qui Regia rura,
Flaminiæq; omnes populi, Aemiliæque superbæ,
Ipsa vel in primis domina, & regina Rauenna,
Quæ larga innumeras gentes Titione gubernans,
Iure potest princeps, atque altera Roma vocari.

Causa

Causa hæc lætitiæ est cæli, terræq; , marisq; ,
Picenæ, Anconis, Romanæq; Vrbis, & orbis,
Pastorum, Panisq; simul. Pæana canamus, (mus,
Heus pueri, & Daphnin nostrũ super astra fera-
Daphnin, qui musas fouet, & complectitur arctè
Pierides, vatesq; sacros, sanctosq; poetas:
Jllum disparibus septem compacta cicutis
Fistula nostra canat; canat illum tibia: cuncti
Mortales illum obseruent, venerentur, amentq; ;
Dam. *Quis furor hic nouus ad laudes me impellit inertẽ*
Daphni tuas? videor quondã mihi percitus œstro
Cœlesti; videor correptus numine diuum.
Cernere, sit quantos tibi collaturus honores
Diuus Stymphalius; cumulabit munera donis,
Sidonioque comas maturè conteget ostro.
Et iam iam lambet Tyrius tibi tempora murex:
Ac, licet hæc sint magna satis, multo tamen istis
Te maiora manent: nam te sanctusque Senatus,
Purpureique colent patres, mirabitur aula
Augustamque oris formam, egregiamque figuram
Corporis, & mentem imperij, regniq; capacem:
En senior solium ascendens, cymbamq; regendam
Accipies Petri: triplici modo cana tiara
Tempora, & aurata circumdata cerno corona.
Tunc demum totus te te venerabitur orbis:
Prostratique duces, & reges oscula figent
Diuinis pedibus: donaria barbara gaza ...

Augebit, multo argento cumulabit, & auro.
Ad te Threicius supplex, humilisque tyrannus
Accedet, mitisque tuum dehinc poplite flexo
Numen adorabit; gemmisque insignia, & auro
Subyciet calcanda pedi sua colla beato;
Ablutusque sacris vndis, fluuioque salubri,
Et vexilla crucis colet, &, tua signa, Draconem
Commoti exemplo reges orientis, & austri
Certatim tibi se tradent, æquumque putabant,
Cui cœlum seruit, cui tristis regia ditis,
Se quoque Pontifici, & Regi seruire Latino.
Tum vero nostri proceres, Gallique, Scythæq;,
Germanique omnes, & fluctibus vndique cincti
Oceani, extremiq; hominum, toruique Britanni
Dissidia, erroresque suos, vitamque perosi,
Se tibi permittent, læti ad caulasque redibunt,
Legitimosque petent pastores, iura, fidemque
Seruabunt, pulsam cum relligione vocabunt
Astræam, inque hostes nostros pia bella parabunt.
Denique pastor erit tunc vnus, ouileque fiet
Vnum, & Saturni felicia secla redibunt.
Tit. *Daphni igitur cœlum auxisti, numerũq; deorum:*
Daphni polo, terrisque decus, lumenque dature,
Et dilecte Ioui, & Pam carissime Daphni,
Sis felix: nostrasque leues, vbicunque futurus
Terrarum es, curas varias, variosque labores,
Seu te habeat Phyllis, cupidè q̃ expectat, et optat;

Seu

Seu Galatea vocet Romanas visere caulas,
Pana salutare, atq; epulis accumbere diuum,
Sis felix, nostriq; memor: Nos liba quotannis,
Diuinosq; hilares tibi persoluemus honores:
Ante tuas aras nostra cadet hostia dextra
Plurima, & absenti carchesia lacte feremus.
Tu vero nostrum numen, cui fidimus, atque
In quo nostra deo spes omnis nititur vno,
Pastoris, seruiq; tui modo suscipe curam:
Armentisq; illum, gregibusq;, aruisq; beato.

Superior Ecloga, humanissime lector, quæ Daphnis inscripta est, cum ab autore, quo tempore illam confecerat, Firmum Stephano Sansonio homini iurisconsultissimo, & Latinæ, Etruscæque linguæ peritissimo, dulcissimoque poetæ emendanda, corrigendaque missa fuisset, sic viro placuit humano, ac docto, vt ingenio delectatus, facultateque poetica hominis sibi summa familiaritate coniuncti, non dubitarit, inscio etiam poeta, illam typographis imprimendam tradere, quæ cum primum inspecta, lectaque est, adeo multis rerum Latinarum, poeticæque non imperitis hominibus elegans, venustaque visa est, vt nonnulli facere Etruscam, non recusarint, conuersamque ad suum mittere autorem: In quibus quoniam illi probata est imprimis Antonij Mariæ Vinci Firmani ciuis, & magno ingenio, magnoq; iudicio iuuenis conuersio, eam subijcere placuit, quam

deinceps

deinceps Iulij Cæsaris Torelli sequetur interpretatio, viri tam literati, quam studiosi, qui quidem quanta cum laude versatus & ipse sit in eodem labore, quamq; vterque feliciter autorem siue æquauerit, siue etiam nonnullis superauerit in locis, intelligere facilè poteris ex conuersionibus ipsius, vnde discere licebit tironibus, & Latinæ, Etruscæque eloquentiæ imperitioribus adolescentibus, quomodo, quave sint relligione latina poemata interpretanda, & in Italicum, nostrumque vertenda sermonem.

Tradottione del Signore Antonio
Maria Vinco.

Dafne.

Titiro, Dameta, Damone.

Titir. QVAL *cosa esser dirò questa, onde il sole*
Hoggi con maggior torchio il mondo alluma?
E più di pria suoi raggi fiammeggianti
Spiega dal ciel? e d'ogni intorno empiendo
Di nuouo gaudio il mondo, inalza fuori
De le salse onde d'Adria il capo adorno
Di piu dorate, e colorite chiome?
Forsi le stelle sormontando Alcide
(Di Gioue onnipotente inuitto figlio)
Calca hora il ciel, cui già fece colonna?

Lieto

Lieto venendo d'Eta, per i campi
Di Flegra vincitor altiero, e illustre,
Hor de l'apieno al fin condotta guerra,
E de la strage horrenda de' giganti
Inanzi al genitor anch'ei trionfa?
Qual rumor nuouo il ciel percuote, e frange?
E mugir fà le valli, i monti, e i liti?
Odi, come rintuonano le selue
Del nostro Monte, scosse dal gran bombo
De caui doppi, e semplici metalli?
Odi i lor spessi, e raddoppiati tuoni?
Vedi Dameta, qual sulfureo nembo
Stampano in aria? e come al tuon le nostre
Timide pecorelle son fuggite?
Come tremon gli augelli, e al caro seno
Corron de le madri? & i capretti
Paurosi, e lasciuetti saltan'hora?
Come de l'alte quercie l'alte cime
Affrettano hora il tremolar ne l'aria?
E come l'onda ripercossa trema?
Come il suolo rimbomba à sì gran tuono?
Forsi il Dio Pan di sdegno acceso è contra
Le nostre greggi, e noi miser pastori?
E infellonito à i nostri danni intento,
Spogliando d'herbe, e fior campagne, e prati,
Cerca insettarci, e ancideri gl'armenti?
O pur Apollo hoggi più allegro splende,

Godendo

Godendo di mirar noue allegrezze
Ne gl'human petti, onde si spesso fanno
Strepito, e fiamma i bellici istrumenti?

Dame. *Anch'io di ciò non picciol noia prendo,*
Speme, e timor tenendomi sospeso,
Ne posso penetrar, che voglia al mondo
Accennar questo sol tanto lucente,
E questo gran rimbombo de metalli.
Pur credo certo, che'l gran Pan dee hauere
Qualche gran cosa nel mondo innouata:
L'alta clemenza sua m'affida, e face;
Ch'ogni cosa pigliar debba pel meglio.
Ma voglio, che sappiamo hor hora il tutto
Da quel pastor, che di colà se'n viene
Con frettolosi passi al nostro ouile,
E'ci trarrà di dubio, perche torna
Da la città: vuoi tu gittargli vn grido,
Acciò possiamo vscir tosto d'intrighi?

Tit. *Eccolo homai vicino, e come scorto*
Ha'l nostro gregge ruminar le frondi
Del citiso, & i fior del salce, tosto
Riuolto ha il piede; parmi, s'io non erro,
Il giouane Damone, o'l pargoletto,
E gentil Palamone, idolo tuo.

Dame. *E Damone figliuol di Mopso, à cui*
Vbidiscon in ciel le chiare stelle,
Damon, ch'intende il parlar de gli augelli,
Cui

Cui sono conte le future etadi.
Tit. *Donde vienſi Damon? che gran venture*
Ne dirai coſi allegro, e feſteggiante?
Narra, deh narra à noi le tue allegrezze.
E raſſerena homai le noſtre menti:
Dinne, perche'l gran Dio, che nacque in Delo.
Hoggi con più bel crine è à noi comparſo?
Perche l'aer, e'l mar, oltre l'vſato
Più tranquillo, e più chiaro ſi dimoſtra?
Cotanta gioia è forſi origin certa
De più felici tempi? hauranno forſe
Quinci principio i giorni di Saturno?
Che vogliono accennar ſi horribil tuoni?
Guerra mortal, ò pur letitia, e pace?
Damo. *Jl gran Dio Pan temuto da l'Arcadia,*
Di cui noi ſiam ſerui, e paſtor deuoti,
Quel Pan, che ſempre mai prouede à i noſtri
Armenti d'herbe, e di lor prende cura,
Di ſacra mitra à Dafne ornato ha il capo,
E cinto del maiſempre verde alloro,
Sin che di roſe, e di viole inteſſa
Più legiadre, pompoſe, alme ghirlande.
Coſi ha referto Coridon tornante
Da la città. E diceſi hauer fatto
Il gran Dio Pan gran coſe per l'adietro,
Ma più grande, più giuſta, e ſanta impreſa
Non hauer mai di queſta; e in ver qual coſa

Maggior, e più stupenda scorge il sole,
Da che si mostra à noi fin che s'asconde,
Che più grande, e stupenda sia di Dafne?
Quanto più in alto sorgon li cipressi
De i bassi roghi, e gl'alti cauati alni
De l'humili ginestre, e quanto vince
Gl'altri fiumi il gran Pò, le stelle il sole,
Tanto più sorge d'ogn'altro pastore
L'alto valor di Dafne verso il cielo:
E tanto vince ogn'altro pastor Dafne,
Dafne, che con l'oprar giostra co' Dei,
Ornamento, e splendor di Galatea,
Di cui nessun pastor più dolcemente
Fa sentir la sampogna, onde contrasto
Fa souente con Febo, nessun meglio
Si custodir gl'agnelli, & i capretti,
Ne chi guardò gl'armenti del tiranno
Ammeto appo le sponde humil d'Anfriso,
Pascette meglio il grege, e preseruollo
Lungi da morbi, da lupi, e da ladri;
A ragion dunque à lui scelto da tutto
Lo stuol concorde de' pastori vniti
Dassi in cura le pecore, & i campi
De la Romagna, e di Rauenna antica;
Molti eletti pastor d'intera vita
Reueriranlo, e mille e mille armenti
Cortegeranlo, e innumerabil greggè.

Lo

Lo riconoſceran per lor paſtore;
I Siluani, li Fauni, e tutti i Dei
De'villagi, & inſiem tutte le Ninfe,
Le Driade, le Naiade, l'Oreade,
E'l pien di neue, che ſi in alto ſorge,
Padre Apennino, Rege il chiameranno.
Tutti quei, che da' monti, e da' colli erti
Scorgono d'Adria il mar, vbidienza,
E honor rendono à te Dafne celeſte:
Arimino, & il picciol Rubicone,
(Termine de l'Italia, e de la Gallia)
T'vbidiſcono, e quei, che beuon l'onda
Del picciol Ren, del Pò, di Parma, e Trebbia,
E quei, ch'aran di Modena, e di Rezzo
I campi, e de l'Emilia, e di Flaminia
Tutte le genti i tuoi commandamenti
Eſeguiſcono à gara, e più de l'altre
La Regina, e Metropoli Rauenna,
La qual reggendo populi infiniti;
Sudditi al gran ſuo imperio, con ragione
Si può nomar regina, e vn'altra Roma.
Queſta è la cauſa di tanta allegria,
Che'l ciel, la terra, il mar, la Marca, Ancona,
E la gran Roma, e tutto il mondo fanno
Inſiem con Panè, e coi paſtori ſuoi.
Su ſu fanciulli miei cantiamo i carmi,
E portiam Dafne ſin ſoura le Stelle,

Dafne amico di Febo, e de le muse,
E de santi, e veridici poeti:
Lui semper risonar faccia la nostra
Humil sampogna di sette non pari
Canne composta à l'vsanza di Pane,
Amino, e honorin lui tutti i mortali.

Dame. *Ma qual nuouo furor spinge me inetto,*
Dafne à cantar de tuoi gran pregi il vero?
Parmi veder acceso di diuino
Furore, quanti honor Pan porgeratti,
Il qual giungendo doni à i fatti doni,
Il capo copriratti col cappello
Porporeo, e sacro; & ben che questi hauuti
Honori sian sublimi; nondimeno
A più sublimi ancor sarai inalzato,
Che i Cardinali à gara insieme tutti
Adoranti, e la Romana Corte
Mirerà, e in vn'ammirerà l'augusta
Effigie del bel volto, e l'armonia
Tanto perfetta de le membra giuste,
E la diuina mente con l'imperio
Atta à regger i Regni, e'l mondo insieme,
Et ecco à gl'anni più maturi giunto,
Prima salendo ne la regia sede,
A regger prenderai di Pier la barca:
All'hor il crin canuto di tre mitre
Vedrotti cinto, e tre corone d'oro;

All'hor

All'hor al fin il Mondo adoreratti,
E in genocchion i Regi daran baci
A i tuoi diuini piedi; e d'oro, e argento
Faran più ricche le barbare offerte:
Il fero Trace supplice, & humile
Verrà à trouarti, e ingenocchiato in terra
Adoreratti, al tuo beato piede
Sottomettendo il collo intorno cinto
D'auro, e di gemme pretiose, e rare,
Battizzato adorando l'alta insegna
De la croce di Christo, e'l tuo Dragone:
Mossi dal Regio esempio tutti i Regi
De l'odorato, e lucido oriente;
E de l'Austro, e di Borea, in tua balia
Porransi, giudicando esser ben dritto
Seruir à quello, à cui serue anco il cielo,
E la Regia infernal trista di Pluto.
All'hor al fin i Prencipi di Francia,
E de la Scithia, e di Germania tutta,
E la gente cerchiata estrema intorno
Da gl'alti flutti del vasto Oceano,
Et i feroci si guardigni Inglesi,
Infastiditi di lor gare, e falli,
E de la vita, in le tue man porransi,
E drizzeranno baldanzosi il piede
A gli smarriti ouili, e chiederanno
Santi, giusti, legitimi pastori,

Offer-

Osseruando la fè, le sante leggi,
E la religion sbandita, e Astrea
Ricondurranno ne l'antico seggio;
Apparecchiando pietose battaglie
Contra gl'infidi nostri empi nemici:
Sarà all'hor finalmente vn sol pastore,
Vn sol'ouile, e del vecchio Saturno
Ritornerà la bella età de l'oro:
Dafne tu dunque, ch'ampliato hai'l cielo,
E'l numero celeste delli Dei,
Dafne lume del ciel, e della terra,
Caro al gran Gioue, e carissimo à Pane;
Viui felice, & ouunque viurai,
O in Fillide, che cupida t'attende,
O in Galatea, che à rimirar ti chiama
Gl'ouil Romani, & à mensa coi Dei,
Dafne à Dio, à Dio Dafne, e i miei sudori,
Benche di nessun preggio, non spreggiare,
Ma di loro, e di me serba memoria:
Ogni anno io lieto pagarotti i libi,
Come à te debbo, & i diuini honori;
Dauanti à gl'altar tuoi caderà in terra
Spenta dalla mia destra più d'vn'hostia,
E à te lontano spargerò le coppe
Colme di latte. Ma tu sol mio diuo,
In cui ogni mia speme ho collocata,
Prendi in cura il tuo seruo, e'l tuo Pastore;
E do-

E donandogli armenti greggi, e campi,
Fra tuoi serui, e pastor fallo beato.

Tradottione del Signore Giulio
Cesare Torelli.

Dafne.

Titiro, Dameta, Damone.

Tir. CHE *debbo io dir, che sia, che pien di gioia*
Con lampada maggior la terra illustra
Febo? e vibra dal pol piu chiari lumi,
E di nuoua allegrezza empiendo il tutto;
L'ornata testa de raggi, maggiore
Più assai di quel, che suol, trahe fuor dall'onde?
Forse, prole di Gioue, Hercol'inuitto
Alle Stelle ascendendo, hora co i piedi
Il ciel, ch'ei sostentò già, allegro calca?
E dalla cima d'Eta ritornando,
Ne i gran campi Flegrei d'ogn'intorno
Vincitor, e superbo della guerra
Fatta, della gran stragge de giganti
Altiero, auanti al cospetto del padre
Allegro, conduce hor lieti trionfi?
Che insolito fragor le nubi, e il cielo
Vrta cor rombi? e con rimbombo grande
Le valli, e i monti, e de Dori ferisce

I curui

I curui liti? odi, come la ſelua
Di Coner per il bronzo ſcarco intuoni?
Odi, come raddoppino le botte
Gl'infocati metalli? & alle ſtelle
Di ſolfo, e pece mandino vna nube?
Vedi Dameta, come le pauroſe
Caprette ſon fuggite? e come gl'agni
Tremino, & alle tettenote corſi
Sian delle madri? e ſaltin più laſciui
I timidi capretti? come l'alte
Quercie muouan ſouente le ſue cime?
E come l'onda ripercoſſa tremi
Con procelle di più, che horribil ſuono?
La terra tutta per tonitri, e fiamme
Riſplendenti mugiſca? è Pane irato
Forſe al beſtiame, e à i guardiani ſuoi?
Et i paſtori il Dio Menalio penſa
Diſperder tutti, vitiar i greggi,
Gl'armenti vccider, di gramegna i prati,
Spogliar i campi delle verdi herbette,
E i paſcoli infettar? ò ver più toſto
Il ſol più lieto, e le bombarde ſpeſſo
Strepitanti con fiamma horribil, ſono
Di nuouo gaudio ſegno, e nuoue coſe?
Dame. Queſta coſe me ancor tengon ſoſpeſo,
E la ſpeme, e'l timor mi batte inſieme
Il petto; ne che coſa queſto ſole,

Ch'au-

Ch'aureo, e maggior si mostra, e più splendente
Con insolito foco; ne che cosa
Hor con tanto mormorio i spessi vsciti
Strepiti fuor dell'incauato bronzo,
Dell'alto ciel le stelle percotendo,
Significhino, sò; pur m'indouino,
Che qualche cosa grande habbia Pan fatta,
E per somma clemenza del potente
Padre Liceo sperar piacemi il meglio.
Ma ciò, ch'egli è, c'è lecito saperlo
Dal pastor (s'io non erro) che'l buon passo
Affrettando, se'n vien'al nostro ouile:
Perche dalla cittade egli ritorna.
Titiro vuoi, che da lungi io lo chiami,
Acciò da lui possiam saper il tutto?
E dimandar del suo venir la causa?
Tit. *S'è accostato vicino, e poi che ha visto*
Le nostre capre andar via vagabonde,
Le frondi del citiso, e i fior pascendo
Delle salci, ha riuolto il piede indietro:
Certo à me pare il giouane Damone,
O'l bel garzon Palamone, tua cura.
Dame. *Egli è Damon figliuol di Mopso, à cui*
Vbidiscon le stelle, à cui son noti
I canti de gli augelli, e del valore
Gl'augurij, e i tempi del secol futuro.
Tit. *Donde Damon'à noi? che sei per dirne*

Felice, e lieto? che stai così allegro?
Aprici hor su queste allegrezze; e scaccia
Dal petto nostro cotanti pensieri;
E mostraci, che cosa del sereno
Cielo la faccia chiara, e'l vago Febo,
Delle stelle ornamento, con maggiore
Corona il capo adorno, e de bei raggi
La fronte, l'onde taciturne, il lieto
Giorno, che cosa il mare, e'l ciel portenti.
E questa luce di secol migliore
Origine? e di qui principio hauranno
I regni di Saturno? i fiammeggianti
Colubri, che richieggon si souente,
Gettati con horribile fragore,
Percotendo del ciel le chiare Stelle?
Guerra, ò letitia, accennan pace, od arme?
Damo. *Pan Dio d'Arcadia, il qual Menalo teme,*
Di cui pia cura siamo noi pastori,
Il qual ministra i pascoli à gli armenti
Nostri, e le ville, e i greggi ci defende,
I crini, e'l capo adornato ha di Dafne
Di sacra diadema, e coronate
Le tempie gli ha di verdeggiante lauro;
Di porporee viole, e rose mentre
Apparecchia ghirlande per imporle
Al caro capo; così Coridone
Dalla città tornando ha raccontato:

Molte

Molte gran cose, e giuste hauer souente
Fatte il Parrasio Dio, nume mirando
Si dice; ne però si stima hauere
Fatta giamai cosa più grande, ò giusta:
E che di Dafne più marauiglioso
Vide mai Febo, ò ver quando da gl'Indi
Odorati s'affretta, ò vero quando
Nel mar Tartesio i suoi bei raggi attuffa?
Quanto il cipresso il viorno, e quanto l'alta
Alno, & i rubi, e l'humili ginestre,
E gl'altri fiumi il Pò, le stelle vince
Il sol, tant'ei più auanza i pastor tutti,
Delitie dell'human genere, e nuoua
Gloria dell'età nostra, gran splendore,
E honor di Galatea, pari à gli Dei
Dafne, del qual nessun meglio si pose
Sampogna à i labri, e con Febo assueto
A contrastar; niun pastor gli agnelli
Più dottamente, ò via meglio i capretti
Curò giamai, non chi vicino all'onde
Del fiume Anfriso si dice gli armenti
Hauer pasciuto del Tiranno Emonio,
Ha d'ogni scabia, e de fur, e de lupi
Notturni dall'insidie conseruato
Le pecorelle; onde meritamente
Scielto è da tutto il numer de pastori,
Che le fertili ville di Rauenna

Coltiui, e à Galli dia ragion Togati:
Accioche molti intorno eletti, e buoni
Paſtor l'oſſeruin; lo ſeguano mille,
E mille armenti, & infiniti greggi
De belanti il conoſcan, mille ouili
Per ſignore; e ſignore, e Re il ſalutino
Tutti i Siluani, i Fauni, e tutti i numi
Agreſti, delle Ninfe il grato coro,
Le Driadi donzelle, le Naiadi,
Le piaceuole Oreade, il niuoſo
Padre Apennin, che s'erge con la fronte
All'alte ſtelle, e tutta la campagna,
Che da i colli riguarda l'onde d'Adria,
Dafne, vbidiſce al tuo ſaggio gouerno.
A te Arimino ſerue, e Rubicone,
Che le baſſe acque volue, e'l latio ſparte
Da Galli, à modo tuo ſanno coloro,
Che'l Reno, il Pado, la Parma, e la Trebia
Beueno e quei, che coltiuano i campi
Di Modena, e di Reggio l'ampie ville,
E di Flaminia, e d'Emilia ſuperba
I popol tutti, e primieramente eſſa
Capo, Signora, e Regina Rauenna;
La qual con ampia podeſtà reggendo
Genti infinite con ragion primiera,
Eſſer può dimandata vn'altra Roma.
E queſta è la cagion dell'allegrezza

Del

Del ciel ſeren, della terra, del mare,
Del Piceno, d'Ancona, e dell'altiera
Città Romana, del mondo, e de tutti
I paſtori, e di Pane iſteſſo aſſieme.
Su dunque putti cantiamo le lodi
Di Pan, e alziamo il noſtro Dafne ſoura
Le ſtelle; Dafne, che le muſe aita,
Le Pieridi abbraccia ſtretto, e i ſanti
Poeti; di lui canti la ſampogna
Noſtra compoſta de ſette diſpari
Canne, canti di lui la tibia noſtra:
Oſſeruin, amin, riueriſcan lui
Tutti i mortali. Dàmet. *Che nuouo furore*
Me vile ha ſpinto alle tue lodi Dafne?
Da celeſte furor parmi eſſer ſpinto,
E da nume diuin ratto mi pare
Veder, che grandi honor per darti ſia
Il Dio Stinfalio; accreſcerà con doni
I doni; è con ſidoniò oſtro le chiome
A tempo copriratti, e hor hor le tempie
La porpora di Tiro adorneratti.
E benche queſte coſe ſiano grandi;
Pur ti reſtan di queſte aſſai maggiori:
Percioche te'l ſenato ſanto, e i Padri
Porporeï honoreran; l'auguſta forma
Del volto, e la figura vnica egregia
Ammireran del corpo, e la capace

Mente

Mente d'imperio, e di importante regno.
Ecco che vecchio ascenderai la sedia,
E à regger piglierai di Pier la barca.
Veggio hor le bianche tempie circondate
D'vna corona d'oro, e d'vna mitra
Triplicata, & all'hora honoreratti
Il mondo tutto, e i Duci, e i Re prostrati
A i tuoi piedi diuin daranno baci:
Accrescerà il tesor barbaro i doni,
Comularalli con molto oro, e argento,
A te supplice, e humil verrà il tiranno
Tracio, e rimesso adorerà il tuo nome
Con riuerenza, e'l segnalato collo
Di gemme, e d'oro al tuo beato piede
Sommetterà à calcarsi; e delle sacre
Onde lauato nel salubre fiume,
Della croce i vessili, & il Dragone,
Tuoi segni adorerà; per tal'essempio
I Regi d'Oriente, e d'Austro à gara
Mossi à te si daranno; e cosa giusta
Pensaran, ch'al Pontefice, e Latino
Re, cui il ciel serue, e la corte di Dite,
Seruano essi anco; all'hora i nostri proceri;
E Galli, e Scithi, & i Germani tutti,
E li fieri Britanni d'ogn'intorno
Cinti dell'Ocean dall'onde, & vltimi
De gli huomin le discordie, gli error suoi,

La

La vita odiando, à te daranſi, e lieti
Torneranno alle mandre, & i paſtori
Legitimi chiedran; la fè, le leggi
Seruaranno, & Aſtrea sbandita aſſieme
Con la religion dimandaranno:
E guerra pia contra i nimici noſtri
Parecchiaranno, e finalmente fora
All'hora vn ſol ouil, e vn ſol Paſtore,
E torneranno i ſecol di Saturno.

Tit. *Dafne dunque tu il cielo, e de gli Dei*
Jl numero hai creſciuto; Dafne al polo,
Et alla terra honor futuro, e lume,
Dafne diletto à Gioue, à Pan cariſſimo,
Sij tu felice, & ouunque ſarai,
Le varie cure noſtre, e le fatiche
Alleggeriſci, ò ver che t'habbia Fille,
Ch'auidamente t'aſpetta, e ti brama;
O Galatea ti chiami à riuedere
Di Roma gl'alti alberghi, à ſalutare
Pan, e aſſiem trarti alla menſa de Dei,
Sij tu felice, e di noi ti ricordi:
Noi ciaſcun'anno renderemo allegri,
A te diuini honori; auanti à i tuoi
Altari caderà per le man noſtre
Vittima ſcielta, e offerirem di latte
A te aſſente capaci, e colme tazze.
Tu nume noſtro poi, nel qual fidiamo,

E nel

E nel qual sol s'appoggia nostra speme
Del tuo pastor, e seruo hor cura prendi,
E d'armenti, e di greggi, e de poderi
Fallo (che ben tu puoi) fallo beato.

Ecloga qua Stephani Sansonij patritij, & iurisconsulti Firmani obitus deploratur.

Lycidas.
Daphnis, Stimicon, Amyntas.

Daph. EIA *agite Andinæ musæ, Siculæque camenæ,*
Dicite funesto crudelia funera pulchri
Carmine pastoris, passis de more capillis;
Et tunsæ niueis candentia pectora palmis,
Ora pijs lachrimis, fluuioq; rigate madenti
Purpureas, roseasq; genas, dum lilia plenis
Mista parant violis calathis effundere nymphæ:
Ploremus Stimicon Lycidam, ploremus Amynta:
Ploremus sanctumq; virum, dulcemq; sodalem
Ante diem ereptum nobis, viridiq; iuuenta;
Donec flauentes scindit Galatea capillos;
Et vocat insana crudelia numina voce,
Flebilibus testata modis, numerisq; dolorem;
Responsantq; caua lamentis vndique valles;
Littoraq; Assyrijs plantis, lauroq; frequenti
Consita,

Consita, luctisono diuerberat Adria fluctu.

Stimi. *Plorent nobiscum Aonides: Parnassia rupes*
Ingemat: in primis Phœbus deploret alumnum
Extinctum, lachrimisq́; suos soletur amores:
Quos ille huic versus, & quàm diuina solebat
Carmina dilecto facilis dictare poetæ?
Nam te Daphni, ferunt errãtem ad flumina sacri
Permessi Lycidam duxisse Aganippidos vndas
Pegaseas; illi cunctos monstrasse recessus
Parnassi, puerum musis, Clarioq́; fauenti
Conciliasse Deo; & docilem excoluisse per artes
Egregias, ex teq́; illum didicisse magistro,
Quæ didicere olĩ Chromis, et Mnasilus in antro,
Carmina diuinis numeris cantante Sileno.

Amyn. *Falleris haud dubiè, Stimicon; sic fama ferebat,*
Vt dicis: memini sic sæpe referre Menalcam,
Daphnidis ad cultum cum me hortaretur amicè.
Verum ego, cum solus solum te Daphni, precarer,
Montibus in gelidis Firmi, dum nostra capellis
Mista tuis erraret ouis, nos vmbra teneret
Populea, in viridi recubantes gramine fessos,
Vt mihi, quæ Lycidæ, monstrares, quãdo per agros
Te sequerer cũctos peramans, coleremq́; magistrũ;
Esse tuo studio semper, ductuq́; negasti
Factum illum summumq́; virũ, egregiumq́; poetã.

Daph. *Cur non, quæ scirem iactari falsa, negarem?*
Cur iuueni laudem studij, ingenijq́; magister

O *Inuidus*

Inuidus eriperem? cur illi non sua staret
Gloria, nomen, honos, victuraq; fama perennis?
Stimi. *Vnde igitur tanta est pueri doctrina profecta?*
Et quo tam velox hausta est sapientia fonte?
Si dux, aut auspex alius, doctorq; fuisset
Diuino puero, si alium iactasset amicum,
Aut tibi, quæ sciret, non vni accepta referret,
Tunc alium Lycidæ doctorem credere possem.
Daph. *Non patiar tanto, Stimicon, te errore teneri,*
Quæq; illi insignis vates mihi credidit vni
E multis lecto pastoribus, omnia pandam,
Quæ viuens voluit condi, semperq; taceri.
Eductos caulis Lycidas pascebat ad vndas
Lætheas hædos; per pinguia pastor agebat
Nullus rura gregem; non sima nare capella,
Non gramen lætis carpebat bucula pratis:
Solus cum Lycidas esset, conuersus ad ortum,
Vnde noua Phœbus lustrabat lampade terras,
Orauitq; Deum; sortem, calamosq; poposcit,
Ob quos ipsa suum mirata est Ascra poetam;
Consedit; subito est somno correptus; at illum
Vexere Aonides super alta cacumina montis:
Imposuit capiti lauros, hederasq; Thalia,
Et voluit vati nomen tribuisse coronam:
Castalios Erato latices, sanctosq; liquores
Attulit, & pleno fluuios dedit ore bibendos:
Calliope argutasq; fides, citharamq; canoram

Tra-

Tradidit, & dixit Neruos, quibus Ismarus Or-
Flumina detinuit labentia, nescia flecti (pheus
Tartara commouit, calamos, quibus Ascra poetã,
Pastoremq; suum mirata est, accipe, Phœbo
Care puer; ferq; ipse tuum super æthera nomen
His fidibus; calamis famam conquire perennem.
Amyn. Nempe hoc illud erat, quòd tam diuina repente
Carmina pastores inter cantabat amicos
Præclarus iuuenis, secli noua gloria nostri.
Non erat illa hominis vox, non mortale, quod ille
Mirandis cecinit numeris, diuina videri
Cuncta viri poterant & dicta, & gesta beati.
Stim. In siluis, Lycida cantante, accurrere quercus
Illicibus mistas vidi: genus omne ferarum
Carminibus dulces attentis præbuit aures.
Sunt sæpe ipsa suum pastorem armenta, gregesq;,
Miratiq; canes fidi, celeresq; Lacones;
Gramen ouis; cytisum, salicesq; oblita capella est.
Cessisses vati, Arcadiæ Pan gloria priscæ:
Cessisses fidibus Geticis in montibus Orpheu:
Cessisses calamis Thebarum conditor, atque
Tityre quo tenui nemo est modulatus auena
Siluestrem melius musam, gracilesq; cicutas
Admouit labris patulæ sub tegmine fagi.
Vidisses Faunos, Satyros, facilesq; Napæas
Ad modulos saltare nouos, festasq; choreas
Ducere, vernanti redimitas tempora flore,

Mōtibus in summis, vnde est despectus in vndas,
Nereaq; Adriacum, dum pendet rupe capella
De viridi, gracili modulatus carmine Phyllin,
Ad numeros quoties nautas, dulcissima Siren,
Detinuit captos mira dulcedine cantus;
Quamuis ferretur spumosa carina secundo
Flamine ventorum: quoties cum Doride natæ,
Sum Tethy Oceanus, mox cum Tritone Palæmon
Et reliqua ad carmen venerunt numina ponti.
Daph. *Heu pastor formose iaces: heu maxima Firmi*
Gloria Piceni, eximium decus, atque tuorum
Deliciæ, ac splendor, rurisq; immensa voluptas,
Nympharumq; ignis: quæ te mala fata tulerunt?
Quæ te (me miserum) liuentia numina nostris
Eripiunt oculis? quis pullæ stamina vitæ
Dissecat? abrumpit quæ tristia fila sororum?
Vidi ego te, Lycida morientia claudere somno
Lumina perpetuo, nec me dolor abstulit ingens;
Nec tecum perij: nec oues, vitamq; reliqui:
Scilicet æterno vt plorem tua funera luctu
Orbus, & in tenebris viuam, fletuque perenni.
Te sine quidnam aliud fuero, quàm mortis imago?
Quàm sine sole dies? quàm nox offusa tenebris?
Lucis egens aer? turbatis fluctibus æquor?
Quàm sine grex camb⁹? q̄ falce resecta cupressus?
Quàm pratū tenero sine flore, & mollibus herbis?
Quàm sine lēta vlmo, aut lōga sine arūdine vitis?
Quàm

Quàm sine vere ãnus? q̃ æstas sine torrida spicis?
Quàm tristis, longũq; gemẽs sine cõpare turtur?
Quàm sine dilecto consorte columba columbo?
Quàm sine vel gladio, vel scuto, & casside miles?
Quàm sine vel tauris curuus, vel vomere arator?
Deniq; quàm sine vel cultu, vel amante puella?
Omnia prisca (dolor) perierunt gaudia tecum
Nostra; ioci tecum, & risus periere, salesq;,
Tecum vnà versus nostri, nostraque camænæ:
Extinctas sine honore faces, fractasq; sagittas,
Fractum arcum, pharetrã euersam gessisse Cupido
Dicitur, & multos fudisse è pectore questus,
Dum tua acerba gradu sequeretur funera tristi.
Affuit & Phœbus, cui non lætissima laurus
Tempora cingebat, sed texta corona cupressu:
Pro cithara tristes fundebat tibia versus.
Luxerunt Charites tua fata; & mater amorum
Indoluit, soluitq; suos Venus aurea crines.
Cunctæ te Dryades, cunctæ fleuere Napeæ:
Te quoq; Naiades, te rustica numina, & omnes
Plorarunt nymphæ: luxit plangoribus Ancon,
Ancon nympharum pulcherrima: docta Minerua
Ipsa tua ingenti celebrauit funera luctu.
In primis Picena parens dolet, & vocat astra
Sæua, deos dicitq; feros, crudelia fata
Appellans; iactat, magno superata dolore,
Facta amens, imposq; sui, conuicia cælo,

Lamen-

Lamentis tenues implens, & questubus auras.
Amyn. *Non possum in tantis lachrimas retinere querelis;*
Daphni; etenim Lycidas summo dilexit amore,
Me coluitque etiam: at contra non defuit illi
Cultus, amorq; meus. Nostros cecinistis amores
Hactenus Aonides, nostros cantare dolores
Nunc opus est: mecum blandissima carmina mollis
Fistula lusisti: mecum nunc incipe luctus,
Quos nullum tempus, quos nullum finiat æuum.
Tu quoq;, quæ seruas incisam Amaryllida, pinus,
Cortice, diuersis numeris testabere nostros
Mærores: Lycidam trunco, ramisque notabo.
Dulce mihi nomen paries seruabit, & omnis
Planta manu signata mea: Lycidamq; vocabunt
Antra, lacus, fluuij, montes, vallesq; iacentes,
Hortus, ager, saltus, Lycidamq; virentia prata:
Et referent Lycidam fluctus, scopuliq; sonantes:
Illum etiam bibulæ lamentabuntur arenæ;
Curuaq; clamabunt pastorem littora passim
Ipsa suum: extinctum Lycidam deflete Molossi,
Custodes pecoris, furum terrorque luporum,
Agmina fida, canes: lentæ plorate genistæ,
Et fagi, & coryli, & leues in montibus orni.
Interijt pastor, quo non præstantior alter,
Seu calamos inflare leues, seu pangere versus
Doctior, & Phœbo certare peritior ipsi
Et cithara arguta, & neruis, fidibusq; canoris

O mihi

O mihi si dentur lachrimarum flumina, largi
O si de nostris riui labantur ocellis;
Plenius vt plorem Lycidæ crudelia fata.
Ante vlmo ex alta cantare æstate cicadæ
Cessabunt, Philomela nefas deflere vetustum
Desinet; ante loquax sub vere tacebit hirundo,
Quàm Lycidã plorare meum mea lũmina cessent.
Ille mihi ante oculos semper versabitur; ille
Excidet è memori carus mihi pectore nunquam:
Semper erit Lycidas mecum noctesque, diesque:
Seu me Apennini teneant iuga celsa niuosi,
Et per Phallerios agros, ac prata pererrem,
Siue colam culti lætissima rura Marani,
Aurea quo misit delecta ex arbore mala
Media, ne Hesperidum placidis cõcederet hortis:
Seu per Cuprenses colles armenta vagentur
Nostra sacros Baccho; & siluas æquãtia mirer
Phæacas longe auriferis pomaria ramis:
Et carpat niueos flores mea dextera primos.
O vtinam Lycida in somnis tua dulcis imago
Occurrat, gratas voces audire, tueri
Formosum os liceat, gemitus deponere, & ipsas
Hortantis lachrimas, & amaros tollere questus.
Stim. *Sac fletũ est, lachrimisq; datũ: iã desine Amynta,*
Desine, Daphni, pcor: Lycidæ est iã parta laboris,
Curarumve quies: mortales ille dolores
Exuit, & citius metam quòd venit ad illam,

Quam

Quam multi metuunt, & quo contendimus oēs,
Gaudendum: propero decessu, & morte citata
Ille quidem est felix factus, factusque beatus,
Daph. *Quin, Stimico, mihi crede, Deus, Deus ille solutus*
Terrenis membris, & fluxo corpore viuit:
Innocuam duxit vitam, & quos tradidit, annos
Natura, ad verum quærendum contulit omnes.
Non lingua, non ille manu, non obfuit vlli
Mente, animoq; viro: sed qua re cunq; iuuare
Fas erat, & poterat, cunctis prodesse studebat.
Hac cœlum Alcides, hac astra Quirinus adiuit:
Hac Bacchus, Bacchique pater, Rex ipse deorum
Iuppiter: hac Lycidas etiam diuina petiuit
Templa poli, & felix parto lætatur olympo.
Concilio nunc ille pio, alloquioque deorum
Gaudet, & ambrosia fruitur; mensisq; piorum
Accumbit celsus, dapibusque, & nectare diuo
Vescitur, exposcitque memor sedesque beatas,
Aetheriasque domos nobis, & serta rosarum
Virginis imponit capiti redolentia sancto,
Quæ nobis peperitq; Deum, peperitque salutem.
Cernere iam videor Lycidam, comitante deorum
Agmine permagno cœlum lustrare, polumque
Mirari, & varios orbes, cursusque globorum,
Stellarumque ortus, obitusque, & cornua lunæ,
Multiplicesque vias solis, saturniaque astra,
Arcturum, pluuiasque hyadas, pigrumq; booten,
Pleiadas,

Pleiadas, geminasq; arctos, Cressamq; coronam,
Et sacris pedibus miris calcare corusca.
Sidera luminibus, tacito labentia mundo.
Quos nũc ille choro numeros, quos cõcinet hymnos
Hinc lætum videor medios pæana canentem
Pastores inter veteres audire, piosq;:
Quis tua vel referat, vel gaudia cogitet ista
Aeterna, & nullis admista doloribus, omnis
Et curæ, Lycida, nostriq; expertia luctus?
Jam dilecte vale; felixq; sodalibus esto
Ipse tuis, nobisque Deum placare memento,
Atque humilis veniam nostris exposcere culpis;
Ut tandem exiguæ post lubrica tèmpora vitæ,
Auspice te, ad sedes læti veniamus easdem,
Gestantes manibus palmas: tum lætus ouantes
Excipies, functosque malis, functosque periclis;
Floribus Elysia lectis è valle corona
Et cælo, & cæli comites donabis honore.
Stim. *Jn quacunque poli parte es, mitissime pastor,*
Aeternum, longumque vale. Nos liba quotannis
Ad tumulum, & plenum lactis cratera feremus;
Spargemusq; super candentia lilia, & albas,
Purpureasq; rosas; violas fundemus, & vndas
Assyrias, quas subiectus stillauerit ignis
Candenti flore expressas: tu lumine dextro
Arcis olympiados sublimi ex culmine nostras
Aspice res propius: scabiem furesque, luposque

A septis arce; atque ouibus lætissima præbe
Pabula; pastores serua, pecorisque magistros:
Namque tuo cælum auxisti, numerumq; Deorum
Numine; perq; tuos radios sol auctior vndis
Exit, & illustrat maiori lampade terras.

Proxima Ecloga, candide lector, quam placuit autori Lycidam inscribere, quave Stephani Sansonij, ciuis, ac iurisconsulti Firmani, quem ille, dum vixit, & amauit vehementer, & coluit plurimum, mortem deplorauit, cum primum condita, factaque fuit, missa est ab eo Horatio imprimis Cardaneto amicorum, quot quot illi sunt, eruditissimo, qui in Perusino gymnasio bonas artes, egregiasq; disciplinas summa cum laude doctrinæ, ingenijq; profitetur iãdiu: ab eo nanq; iuuari illã, & meliorem fieri posse propter singularem hominis eruditionem, & latinæ linguæ, poeticæque artis scientiam non ignorabat. Itaque cum existimaret tunc sua doctis non displicitura, cum doctissimi viri iudicio, à quo se non vulgariter amari sentiebat, correcta, limataq; fuissent, ex omni, qui ei noti erant, quosque plurimi faciebat, sapientium numero, illum selegit vnum, cuius fidei se, suaque committeret, ac commendaret: suscepit onus vir officiosus, & peramans; cumque sæpius, diligentiusque missam Eclogam, legisset, accuratiusq; considerasset omnia, quid de illa senserit, & iudicarit, ac quæ quibus de causis non probarit, quemadmodum humanum,

manum, ac perbeneuolum hominem decebat, hac, quam subijciam, epistola non minus modestè, quam libere significauit. Quæ quoniam veritus est poeta, ne te quoq; lector doctissime, commouerent, quibus ille rationibus, ex tribus, qui Horatio non probabantur, Lycidæ locis, prioribus duobus satisfieri posse putauit, eas te voluit non ignorare; non quòd humanitati, indulgentiæq; in poetas tuæ diffideret, sed quod, vt sunt hominum ingenia ad vituperandum, quàm ad laudandum propensiora, cauendum sibi diligẽter arbitratus est, si laudem poematis suis mereri non posset doctorum, saltem ne in iustas eorundem reprehensiones incideret, curãdumq;, vt tacitis etiam illorum cogitationibus occurreret, & (si fieri posset) careret suspicione quoq; peccati, nedum peccato: ne illum quæso ineptiorem iudices, quod maluit aperire, quàm celare, et excusare, quàm emendare, quæ obijciuntur: sed timori hominis de vitanda reprehensione, quàm de paranda laude solicitioris parce non inuitus. Quod quidem si te senserit facturum, verecundiorem, timidioremq; in edendis vigilijs, lucubrationibusq; suis, quas domestico adhuc carcere conclusas detinet, ad emittendas, vulgandasq; impelles quam primum. In tertio autem de tribus loco sapientissimi viri autoritate commotus, etiam si erratum vix duci potest, vt credat, tamen, ne pertinacior videretur, suiq; amantior, illi obsecutus est, ac morem gessit, eumque quo modo emendarit, ex ea, qua Horatio suo respondet, epistola intelligere licebit. Vale.

Horatij Cardaneti ad Ioannem Baptistam Euangelistam epistola.

LEGI *pastorale tuum carmen iterum, atque iterum sanè libenter, ac delectatus eo sum argumento est sæpius repetita lectio, hoc præsertim tempore, quo etsi à poeticis non abhorreo, non ita tamen ijs capior, ac teneor, vt quondam solebam, vitio, vt puto, si ita appellandum sit, ætatis, elucet in eo ingenium tuum, quod ad huiusmodi scriptionem satis mihi aptum videtur natura finxisse. id quod cum ex alijs tuis huius generis scriptis, tum ex hoc facile intellexi: cuius laudes, ac virtutes, quæ nec paucæ, nec paruæ sunt, pluribus cõmemorarem, si ad alium potius quempiam, quàm ad te ipsum, scriberem. cui vt morem geram, libere potius sententiam meam dicam de quibusdam, vt perattente legisse me perspicias. primùm autem est in primis verbis, vbi Musarum numen de more inuocas. duæ illæ primæ voces haud satis omninò faciunt, quòd non videntur diuinum numen inuocantem decere, propterea quod hortantis sunt. nos vero non hortamur diuina numina, sed precamur potius, & suppliciter oramus. illa vero verba ignauiam illius, quem adhortamur, videntur indicare. vt apud Poetam. Eia age rumpe moras. alioqui exordium illud tuum satis mihi arridet. quo loco Daphnis Lycidæ obitum deplorat, vtitur sane eleganti, omniq;*

dolentis

dolentis affectu plenissima amplificatione: sed plurimæ ille similitudines non videntur quadam affectatione carere. illa quidem à milite sumpta non videtur admodum pastori apta: ceteræ sane omnes mire placent; sed quòd videris eas affectasse, hoc vnum aliquo pacto displicet. vide igitur, ne copia ipsa noceat. & si in ea tui fertilitas ingenij, ac præstantia apparet. de vnico verbo prope finem valde dubito ne sit erratum. nescio enim quo modo Olympiacus, cælestem significet: videtur dicendum prorsus, Olympicus: alterum illud aliud valet: nisi tu secus obseruasti. quod si ita est, candidus imperti, ne in errore verser. vti ego candidè paucula hæc adnotaui, tum vt sententiam dicerem meam, vt soleo ab amicis rogatus, tum vt tibi obsequerer, cui pro nostra amicitia obsequi summè cupio. quod si ad hæc aliquid rescripseris, meque ipsum refelleris, per mihi gratum feceris, & quod sententiam, tuis persuasus rationibus, facilè, ac libenter mutabo, & quod tuas iamdiu literas desidero, quanquam officium non desidero. te enim vel non scribentem, officiosissimum, amantissimumque existimo. Vale, meque; quod te mutuo facere scias, ama. Quincto sacri ieiunij die.

Horatius Cardanetus tui studiosissimus.

Ioannes Baptista Euangelista Horatio Cardaneto. S. P. D.

NESCIO, *quo fato fiat, vt, cum nihil mihi optatius sit, quàm aut tuas literas legere, aut ad te scribere, alterum tamen rarius faciam, quàm vellem, alterum fere nunquam: nam etiam si non infrequẽtes abs te literas ccipio: tamen ea est illarum suauitas, ea, quam ex iisdem capio, voluptas, vt, quod crebro facis, rarius facere videaris: accusem ne igitur te, quod sitim, qua exardesco, legendi tua, accendis potius, quàm sedas? neque licet sanè, neque libet: culpa enim mea est omnis, qui nihil neque scribens vnquam, neque respondens, videor significare tuas mihi literas, quæ suauissimæ sunt, esse insuauiores, tuumque istud officium plenum humanitatis, atque amoris, molestiam potius; quàm voluptatem afferre: etenim hac te suspicione duci puto, quo minus vir æque modestus, atque humanus & crebrius scribas, & plenius; quòd sic fortasse ratiocinaris ipse tecum; si tam me Euangelista diligit, tam obseruat, ac colit, si tam cupidus est epistolarum mearum, quam videri vult, cur nunquam, nisi lacessitus, ad me scribit? cur silet semper? cur mihi aut non respondet omnino, aut serius respondet? hæ te, credo, cogitationes, aut harum similes mouent, vt diutius quandoque taceas, vtq; te ad scribendum cum confers, parcius nescio quo modo,*

ac timidius ſcribas: ſed, vt te timor quidam, ne importunus, ac moleſtus ſis, dum vis officioſus videri, modeſtiaque hortatur, ne pluribus ſcribas, & copioſiores literas mittas; ſic me, vt taceam, diutius, quàm aut mea fert natura, aut ratio patitur officij, beneuolentiæque erga te meæ, cogunt multæ, magnæque, quibus pene obruor, nedum diſtineor, occupationes: omitto quotidianum, moleſtiſſimumque dociles, indocilesque docendi laborem: prætereo peramplæ familiæ nutriendæ curam, & onus non commemoro multiplicium, de quibus, vtcunque poſſum, præcipio, rerum explicationem, traditionemque earum artium, quibus humanitas, eloquentiaque continetur; quotus quiſque eſt eorum, adoleſcentium noſtrorum, qui ſe vel Bononiam, vel Patauium, vel alio conferant, vel ad vos veniant, vt ab eruditioribus, & tui ſimilibus viris eas cognoſcant ſcientias, quas ex nobis diſcere domi non potuerunt, cui non cogar orationem ſcribere, qua vtatur, vt a ſenatu petat annuas quaſdam pecunias, quibus iuuare beneficentiſſima hæc ciuitas ſolet ſuorum ſtudia, quandiu abſunt à patria diſcendi cauſa? quis ſiue Franciſci, ſiue Dominici, ſiue Auguſtini, ſiue alius ſectæ, familiæque vir, atque ſacerdos, ſiue quiuis alius eſt iuuenis vel Anconitanus, vel peregrinus, qui velit publicis diſputationibus periclitari vires ingenij, diſceptandaſque cum ſapientibus viris de ſummis, ac grauiſſimis rebus quæſtiones proponere, cui non oporteat me epiſtolam componere,

re, atque conficere ad illos, quibus volunt probari, primordiaque dicare laborum, studiorumque suorum? denique quid priuatim, quid publicè potest in vniuersa accidere ciuitate, in quo opus sit siue ingenio, siue doctrina, de quo ipse non consular? non me hercule tanquam vir doctus, ac prudens, sed tanquam perhumanus, & qui meam operam negem nemini, qui illa aut egeat, aut vti velit? addixi ego me, Cardanete humanissime, mortalium commoditati sic, vt nulli neque labori, neque molestiæ, neque periculo parcam, modo prosim, aut, si minus id licet propter tarditatem, atq; inscitiam meam, satisfaciam ijs, qui me cum eruditum esse arbitrentur, quoniam sum paulo minus, quàm ipsi, indoctus, adeunt libenter ea de causa, quòd vident me, neglectis sæpe rebus meis, in alienis laborare non inuitum vel inspiciendis, vel corrigendis, vel aliqua alia, quacunque possum, ratione iuuandis. Hinc sanè fit, vt ad te literas dem, priuemque ipse me eo fructu, eaque non solum voluptate, sed etiam vtilitate, quam ex epistolis tuis percipio, quibus vir humanissimus non grauaris doctè, ac familiariter vel errantem corrigere, vel segnem, languentemque excitare: ex quorum vtroque & quam peritus sis latinitatis magister, & quam mei amans, ac studiosus, facilè intelligo. Itaque, cum diligam te mirificè propter multas ingenij, & minime vulgaris eruditionis suauitates, amo ea de causa in primis plurimum, quod qui se ad amicitiam; cultumque tuum

rudiores

rudiores contulerunt, eos non finis esse imperitos, ignarosque earum rerum, quibus & ipsi errore vacare, & alios possint instituere. Quamobrem debeo tibi maiorem in modum, primum quòd, cum in epistola quadam ad te mea expetibile dixissem, quod erat expetendum dicendum, monuisti me vocem illam non esse latinam; deinde quod, cum Lycidam tibi meum meo iussu legendum, emendandumque Ortonius noster obtulisset, notasti quædam in eo, atque animaduertisti, quæ tibi notatione, animaduersioneque digna visa sunt, eaque ad me candidè, aperteque, quemadmodum sapientem hominem, virumque officiosum decebat, scripsisti, non aut tui ostentandi, aut mei reprehendendi auidus, sed iuuandi amici studiosus, ostendendique ea re summi tui erga me amoris. In quo tantum abest, vt me offenderis, vt nihil mihi putem siue fortunatius, siue fructuosius accidere potuisse, quàm eum nactum esse amicum, vnde aliquid quotidie discere, atque à quo peccans corrigi & doctè possim, & perbeneuolè. Verum, ne ignores, vnde irrepserit in mea scripta expetibile, scias velim me nulla re magis delectari, quam philosophorum lectione, non antiquorum solum, qui nunquam (vt nosti) sapientiam ab eloquentia seiunxerunt, sed etiam recentium, quorum pauci sunt, qui latini sint, atque elegantes, ne dum culti, atque ornati: versor autem in libris eius generis hominum libenter, quòd de magnis, ac grauibus rebus sine philosophorum disciplina late, co-

pioseque dicere Cicero noster putat neminem posse: cum enim nullum scientiæ, nullum paulo liberalioris artis genus sit, quod illi non profiteantur, vt ex nostrorum, id est, oratorum, poetarum, historicorum scriptis puto petendum esse, quo modo dicamus; sic ex illorum monumentis, discendum, quid dicamus: sed, dum auidius, atque incautius illos lego, fit, vt ex rusticorum hominum consuetudine quandam contraham rusticitatem, siquamque ad illos attuli latinitatem ex veteribus, bonisque autoribus collectam, atque haustam, ea minus puro hominum sermone, nihil me sentiente, vitietur, atque corrumpatur, contraque mihi accidat, quàm Vergilio: nam, cum is de stercore Ennij aurum colligeret, ego ex auro philosophantiū stercus colligo; ac non è spinis rosas, sed ex rosis spinas lego. Argyropylus .n. Byzantius, & Donatus Acciaiolus, quorū alter Aristotelis de moribus ad Nicomachum libros in latinum sermonem conuertit; alter eosdem non inepta sane interpretatione explanauit, alijque nonnulli eiusmodi recentes philosophi me in errorem traxerunt, apud quos illam cum sæpe vocem legissem, putaui tantorum virorum non minus linguam elegantem, quàm animum sapientem esse: sed mea me decepit opinio: nam illi rerum amplexati doctrinam, verborum, sermonisque puritatem aut contempserunt, aut non magni admodum fecerunt. Quod quidem mihi faciendum cum ne ipse quidem arbitrer, fit, vt, quam illis veniam impartio, eadem me indignum existimem, præser-

præsertim cum latinitatem alios doceam.. Verum, quid mirum est, latinissime Cardanete, in verbis priscis, ac Romanis errare nos, qui cum latini nati non simus, cogimur ex antiquis monumentis eius linguæ petere rationem, cum ne ipsi quidem Latini, atque Romani homines eius, qua vulgo utebantur, linguæ scientiam omnes tenerent? scis, quid de Inhibendo senserit Atticus, quid Marcus Tullius: legisti item probari Antonio Piissimum, Ciceronem vero nullum id omnino verbum in lingua latina iudicare? cui quidem Ciceroni ne Cæcilius quidem, ac Pacuuius, alter comicorum, alter tragicorum princeps, boni latinitatis videntur autores, etiam si illa nati fuerunt ætate, qua, ut innocenter viuendi, sic purè, emendateque loquendi summa laus erat; ea tamen laude tradit idem caruisse Antonium eum, qui Lucij Crassi fuit æqualis, quem tamen maximum fuisse oratorem testatur: quæ tum laus purè, latineq, loquendi si omnibus contigisset, non tantopere laudaretur eam ob rem Cæsar: si eo igitur seculo, quo hæc lingua non viuebat solum; sed florebat etiam, non defuerunt Romani homines, præstantesque & oratores, & poetæ, qui inquinatè loquerentur, nonne aliqua nobis venia danda est post mille, & sexcentos amplius natis annos, eoque tempore, quo illa lingua excisa cum sit, ex longa veterum scriptorum obseruatione, animaduersioneque diligenti singulorum verborum; non quæ apud quosque, sed quæ apud eos leguntur tantum, qui illa vixere, scripsereq,

ætate, qua nondum peregrini, barbarique in Italiam, Vrbemque confluxerant, latinitatemque siue corruperant, atque infecerant, siue radicitus conuulsam deleuerant, petamus, excerpamusque oportet omnes eius linguæ rationes? qua nescio equidem, cur, qui docti videri volumus, & vetustatis amatores, vtamur libentius, etiamsi imperitius, quàm nostra: ego quidem ea sum opinione, vt arbiter nefarium, atque impium esse eam linguam negligere, quam cum lacte hausimus, dum alienas excitare, & ab inferis defunctas, sepultasque ad vitam reuocare, inuita natura, repugnantibusque temporibus, stultè, frustraque contendimus: inuasit iam pridem hic morbus doctorum hominum animos, vt sua fastidiant, alienis delectentur, mirentur latina, contemnant Etrusca, atque Italica, licet illis carere, si non quæsissent, non incommodè potuissent, his autem sic egeant, vt non possint parentes, affines, cognatos, necessarios, amicos, ciues denique ipsi suos, aut viuentes omnino alloqui, nisi hac vernacula, & domestica lingua vtantur, quæ qualiscunque est, sua, propriaque cum sit, non, quod noua est, sperni debebat, sed quòd non omnes modo vetustas sordes abiecit, sed iam etiam multitudine venustè, elegan terque scribentium adeo culta, ornataque est, vt cum Latina, Græcaque certare venustate, atque elegantia possit, complectenda, ornanda, augendaque erat. Hoc si modo veteres Græci, Latiniq; fecissent, quo nos facimus, stomachatiq; sua, aliena

aliena probassent, profectò nihil nunc neque Græcum, neque Latinum legeremus. Verum, ne hostis videar latinitatis, priscarumque linguarum, quarum semper studiosissimus fui, acrior oppugnator, quàm elegans doctor, missa hæc faciam, atque ad tertiam veniam epistolam tuam, quando secunda nihil habet, quod responsionem admodum efflagitet. Dicis legisse te libenter pastorale carmen meum, eoque delectatum fuisse; sicq; illud laudas, vt de eo & honorificè sentias, & perbeneuole iudices: quo quidem iudicio de me tuo, poematibusque meis gauderem mirificè, nisi illud ab amore potius in me tuo, quàm à mea rerum poeticarum scientia, præstantiaque profectum fuisset. dulcis enim laus est omnis, sed illa imprimis, qua laudamur à bono viro, doctoque homine, eoque, qui eius, quam laudat rei peritus est, atque intelligens. Delectatus ego sum semper poeticis studijs, versatusque à puero cupidè, ne dum libenter in lectione eiusmodi scriptorum, præcipue vero Homeri, atque Vergilij; quod, cum cæteri homines ad scribendum ducantur ingenio, humanaque doctrina, poetas persuasum est eruditis omnibus duci ad præclara poemata pangenda diuino quodam numinè, traditaque à dijs, concessaque sapientia: accedebat etiam ad amorem, cultumque in poetas meum, quòd ad omne vitæ, atque officij genus, ad omnes actiones & ciuiles, & militares illorum carminibus videbam homines institui, atque informari: præter quam quod iuuari illis oratorem multis,

mirisq;

mirisq; modis testati sunt eruditissimi dicendi magistri, Cicero, atque Quintilianus. His tam multis, magnisq; de causis non satis habui illorum tantum poemata inspicere, legere attente, considerare perdiligenter; verum etiam experiri placuit interdum, num liceret diuina aliquid sapientia proficere, quando humana nihil possim: ac licet intellexerim musarum iudicio me tanto, tamque insigni munere indignum existimatum, tamen amicorum monitis, doctorumq; virorum suasionibus factum est, vt in proposito perstiterim, carminaque nonnulla scripserim non tam vltro, quam siue principum, quorum familiaritates secutus sum, iussu, siue domesticorum, amantiumque hortatu, atque impulsu: vt enim Lycidam pangerem, Firmanæ Solutorum Academiæ (sic nanq; hodie nostrates vocant conuentum doctorum quorundam hominum statis diebus disputandi, & de literatis rebus agendi causa coeuntium) princeps non suasit solum, ac rogauit, sed etiam imperauit: cuius quidem cum sapientissimi, tum mei studiosissimi viri siue precibus, siue imperio ideo cessi non inuitus, quod paucis antè diebus curauerat amantissimus homo me in eum cætum, sodalitiumque cooptandum non modo non ambientem, ac prensantem, sed ne præsentem quidem, ac cogitantem: quod quidem mihi hominis beneficium, ac studium vt peruicundum fuit, sic me illi quam arctè deuinxerit, vix dici potest. Quamobrem eius me voluntati aduersari, repugnareque putaui non oportere,

præser-

præsertim cum peteret, vt optimi, atque eruditissimi viri, quo cum mihi vetus intercedebat necessitudo, multa officia, summus amor, siue deplorarem, siue honestarem interitum. In quo quidem poemate cum tria esse dicas, quæ tibi non probentur, ea volo, cuiusmodi sint, inspiciamus; vt, siquis est in illis error, emendentur. Primum è tribus est, quòd in primis duobus eius carminis verbis. Eia agite. &c. cum musas velim inuocare, hortor illas: quod quidem indecorè factum ex eo arguis, quòd, qui hortatur, ignauiam videtur illius indicare, quem hortatur, docesque debere mortales numina non hortari, sed precari, orareque suppliciter: vtque verba illa, in quibus reprehendor, hortantis esse, & segnitiam exprobrantis eius, quem hortamur, probes, Vergilium obijcis. Eia age rumpe moras. Quo poetæ loco exploratũ, est hortari Deum Æneam tãquam ignauum. Verum vt concedam tibi, subtilissime, acutissimeque Cardanete, quod negare possum, esse duas illas voces apud poetam eo loco hortantis, non imperantis, an non alius tibi, cum id in meo carmine reprehendebas, occurrit eiusdem poetæ locus simillimus nostri?

Nunc age qui reges, Erato, quæ tempora rerum. &c. vbi poetarum princeps etiam si musam iisdem, quibus nos musas, verbis hortatur, tamen non illam ideo hortatur, quia segnis sit, sed quia non fuisset fortasse factura id, quod illam facere cupiebat, nisi eam ipse hortatus fuisset: licet igitur, quemadmodum vides, ac non

licet

licet solum, sed decet etiam summi poetæ siue iudicio, siue exemplo mortales numina, poetas musas hortari sine vlla ignauiæ suspicione.

An non illa etiam hortantis sunt?

Sicelides musæ paulo maiora canamus.

Musa mihi causas memora.

Verum tamen quis illis, quos recitaui, in locis poetam ea de causa literatus vix vnquam accusauit, quòd orare numina concessum sit, hortari negatum? aut eandem, aut huius, quam ipse in versibus meis reprehendis, similem rem cum accussasset in Homero Protagoras, dixissetque non recte illum fecisse, quòd, dum precari se putaret, Iram cane Dea, imperarit, sic Aristoteles poetam excusat, vt dicat genus hoc peccati non ad poeticam artem pertinere, sed ad historicam. Alter locus animaduersionum tuarum pertinet ad illum similitudinum aceruum, quo Daphnis vtitur, dum, dolori indulgens, qualis ipse, extincto Lycida, futurus sit, non vna demonstrat similitudine: quem quidem locum ideo dicis tibi non placere, quòd putas affectatione non carere plurimas illas similitudines. Magnum me hercule vitium est affectatio, & quo nullum est non modo (vt Quintilianus testatur) odiosius, verum etiam (vt ego arbitror) periculosius: nam, cum cætera vitentur, hoc petitur; ac, quoniam ab ingenio proficiscitur, sed eo, quod iudicio eget, & specie fallitur boni, videtur omnium in eloquentia vitiorum maximum, atque pessimum.

Verum

Verum adeo student iucunditati poetæ, vt ne vitia quidem declinent, ac fugiant, si ea sint aliquam allatura voluptatem: quod tamen non tam ego illorum licentiæ, siue potius impudentiæ, quam indulgentiæ nostræ tribuendum puto: quæ enim in alijs non ferremus, ea in illis non modo non culpamus, verum etiam admiramur, capti voluptate, licereque illis iudicamus non verba solum mutare, extendere, corripere, conuertere, diuidere, licenterque figurare, sed in suis etiam ipsorum, nedum in alienis rebus errare, modo eius, quam profitentur, artis finem assequantur: quem tamen solam esse voluptatem, eamque fingendo; non falsa modo, sed etiam quædam incredibilia sectari poetas, non facile ducor, vt Marco Fabio credam; & q̃ monet Horatius,

Ficta voluptatis causa sint proxima veris;

Et quòd Aristoteles tradit fabulam, quam veluti animam testatur esse poematis, eam rerum esse compositionem, in qua alterum ex altero vel necessario pendeat, vel probabiliter. Sed (vt ad similitudinum nostrarum congeriem redeam) etiam si copia modum egressa vitiosa iudicatur; & vitium habetur vbique, quod nimium est; sustinet tamen, atque excusat eius vitij nostri culpam primum (quemadmodum dixi) ars ipsa, quæ cum parandæ voluptatis studiosissima sit, nihil est tam periculosum, quod aggredi, suscipereque non audeat, modo illo se delectaturam suspicetur; deinde etiam Daphnidis dolor, cui laxantur habenæ mentis inopem

existimat Naso eum, qui matrem in funere nati flere vetet; imprudentiorem ego illum, qui amicum, ac pastorem vult temperate lugere in obitu amici, & ea dicere, quæ à prudentia, iudicioque proficiscantur magis, quàm à dolore: non est Daphnis Lælij similis, qui licet se Scipionis desiderio, orbitateque moueri non neget, ipse tamen se consolatur eo maxime solatio, quod à sapientia nascitur erroris experte: at Daphnis dolori indulgens, qualis ipse, defuncto Lycida, futurus sit, vna si demonstret, aut paucioribus similitudinibus, non satis sibi plene videtur suam significare calamitatem: quod ergo vna copiose declarare non videbatur similitudo eiulanti magnitudine doloris pastori, vt illarum declaret multitudo, quæruntur multæ aliæ ex alijs petitæ locis, plures ex pastorali, agrestique artificio, nulla ex re aliqua obscuriore, minusque communi, & quæ pastori nota esse, perspectaque non possit, vna tantum à milite, quam ego vitiosam putarem, si à recondita, abstrusaq; aliqua rei militaris parte, peritiaque non nisi militi, doctoque homini comperta, cognitaque sumpta forte: nunc autem quis est, qui nesciat indecorum, ac deformem esse militem, qui armis careat ijs, quibus aut hostem petat, aut ictus vitet, ac defendat illius? quanto illud, quod apud poetam inquit Melibæus, indecentius?

At nos hinc alij sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxē,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Unde

Unde caprarius didicit Melibæus laborare Afros penuria aquarum? illosque, ac Scythas longe diuersas, seu potius aduersas orbis partes tenere? Oaxem non modo fluuium esse, sed rapidum, & Cretæ fluuium? Britannos autem Oceano a toto orbe, continenteque separari, longeque à Creta, quæ & ipsa insula est, abesse? ne illud quidem, quod Tityrus dixerat, quem Daphnis imitari videtur, potest criticis, & tristioribus poetarum, poeticarumque rerum iudicibus admodum decorum videri.

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui:
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Ante, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Quis enim ferat æquo animo scire rusticum Mantuanum, quod ne doctis quidem viris notum est, nisi ijs, qui geographiam didicerunt? Facessat igitur à carminibus, poematisque hæc tam erudita, ne curiosam, ac morosam dicam, animaduersio. Quamobrem videamus illud, quod reliquum est, in quo te valde dicis dubitare, ne sit erratum, olympicamne, an olympiacam arcem pro cœlo dicere poetam oporteat: nam, cum apud veteres latinos legatur non olympius solum, sed etiam olympicus, & olympiacus, sic tu illas secerni voces arbitraris, vt ab olympo quidem (qua voce poetæ non montem solum, sed etiam cælum significant) olympicum, ab olympijs autem olympiacum deduci, flectique putes oportere. In quo te non vsquequaque recte sen-

tire vir eruditissime, licet ex multis veterum, ac recentium autorum locis intelligere: puluerem enim Horatius olympicum vocat, non cœlestem, sed olympiorum, quorum item studium Gellius bis eodem loco olympicum appellat, quem tu olympiacum appellandum significas: quos quidem cum graues, tum latinos scriptores Dionysius Lambinus vir nostræ ætatis eruditissimus secutus: semel, atque iterum, dum apud Flaccum de olympico puluere disputaret, olympicum dixit certamen, quod ipse olympiacum dixisses. At libro quarto ad Herennium scriptum est. Siquis ad olympiacum venerit cursum. Et tertio de re rustica apud Maronem.

Siquis olympiaca miratus præmia palmæ.

Ex ijs tamen non illud erat colligendum, quod tu colligis, olympicum ab olympo, olympiacum vero ab olympijs declinari: nam, licet nihil impedire videretur, quo minus id de olympiaco suspicareris, impediebat tamen, antiquorum autoritas, ne de olympico sic sentires, vt id verbum ad olympum tantum, non etiam ad olympia pertinere putares: verum in hanc te, credo, traxit sententiam, quòd non videbas, quo alio modo ambiguitatem possemus in duobus illis verbis vitare; quasi liceat vitandæ ambiguitatis causa, omnia comminisci, ac fingere; vnoq; tantum ex loco principis poetæ fas sit arguere errasse, qui sic olympiaco vsus est in carmine, vt non ad olympia, quemadmodum ille fecit, retulerit, sed ad olympum: nam, quod apud non imperitum dicendi magi-

strum


strum legitur. Si quis ad olympiacum venerit cursum, locus ille suspectus est plerisque putantibus, si quis ad olympia cum venerit, legi oportere: si olympico tam multi abusi sunt docti homines, eam vocem non ad olympum referentes, vti tu mones faciendum, sed ad olympia, cur, qui contra olympiacum non ad olympia retulit, sed ad olympum, peccasse putandus est, præsertim cum apud Græcos legamus, τις ὀλυμπιάδων θεῶν. & μοῦσαι ὀλυμπιάδες? Verum si magis Græcum verbum arridet, quam Latinum, vt tibi morem geram, pro arcis olympiacæ scribam, reponamq; arcis olympiados. Sed tristior es, mi Cardanete, æstimator, & præfractior iudex rerum poeticarum, in quibus cum non errarit, qui tergum dixit pro tergus, cur errasse iudicandus est, qui pro olympico, vt numerum expleret, versumque, ac metrum conficeret, olympiacum scripsit? sed ego ineptior, qui malui Persium, quàm Lælium mea legere. Quanquam (vt, quod sentio, aperiam) vereor, te, non tam quòd ita sentires, quàm vt me cogeres ad scribendum, & meas eliceres literas, quibus videris non mediocriter pro eo, quo me prosequeris, amore, delectari, sic scripsisse: coegisti enim me hercule: nam, cum iamdiu tacerem impudentius, neque respondere quicquam humanissimis, ac perbeneuolis literis tuis, veterno potius, quàm somno oppressus, excitasti me proxima epistola tam magno suffusum pudore, vt omnibus protinus curis, cogitationibusque abiectis;

vnis

vnis literis tot tuis mihi epistolis respondendum statuerim, cum ne diutius inofficiosus, atq; ingratus viderer, tum vt ius meum tuerer, quibuscunq; possem, rationibus ipseq; me defenderem aduersus leuissimas, & minime acerbas repræhensiones tuas, quibus tantum abest, vt offendar, vt nullam magis ob rem te mihi non amandum solum, sed etiam colendum putem; quotus enim quisq; est his temporibus, qui non modo tam sapienter, sed etiam tam candidè amicos suscipiat siue corrigendos, siue docendos? perge igitur, vir humanissime, iuuare opera, eruditioneq; tua eos, qui se cum egere te, tuoq; iudicio sentiant, limandos se tibi tradunt: caue enim credas, me, quæ facio, carmina interdum, ea tibi legenda, & laudanda magis, quàm emendanda mittere: hoc fecit, vt Apologiam, hoc, vt eclogam mitterem, hoc item, vt adolescenti cuidam Perusino, in quem forte in itinere, dum Roma Anconam redirem, incidi, heroicos quosdam versus tradiderim, quos tibi meo nomine redderet, quibus Sixtum Pontificem laudabam, hortabarque ad musas, musarumque studiosos, præsertim Picenos homines, complectendos, ac fouendos; quibus in carminibus si quid forte obseruasti, depræhendistique, quod molestum sit, teque offendat, fac me queso certiorem. Vale pridie Idus Iun. Ancona.

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTÆ POEMATVM LIBER QVARTVS.

De oculis amicæ.



VM soles gemini, duoque astra micantia, ocelli
Conijciunt radios in mea damna suos;
Nescio quis de illis astris in pectora torquet,
Perque oculos adigit spicula mille meos.
Protinus inuitus rapior, cupidusque volenti,
Atque reluctanti subtrahor ipse mihi.
Vim patior tacitus; vis est ea grata; nec illam
Vim queror; est eadem vis tamen illa grauis.
Transfixa Ætnæis vruntur pectora flammis,
Quas cæcus molli fomite nutrit amor.
Non vnda extinguit flammas; non herba sagittas
Vellit, non magicæ carmen & artis opus.
Illi mi soles tenebras, noctemque minantur;
Promittunt claros sidera & illa dies.
Illa vehunt nobis radiantia lumina brumam:
Illa eadem veris tempora læta vehunt.
Illa ferunt æstus, mistisque incendia flammis,

Et,

Et, quo semper amans torreor igne miser.
Illorum radijs se exornat Phœbus, ab vndis
Cum tacita flauas exerit arte comas.
Illa faces, sunt illa tua & noua tela, Cupido:
Pectore ea è medio cor rapuere mihi;
At viuo sine corde tamen: Venus aurea testis:
Spe viuo; spes est cor, animusque meus.
Hæc si non desit, moriar mihi, sed tibi viuam:
Autor tu vitæ, tu mihi mortis amor.

Syluanus ad Syluiam.

SIC *formosa meis placuisti, Syluia, ocellis:*
Sic nostra immitis pectora carpit amor:
Vt dumeta placent nostris, salicesque capellis:
Vt cupida, & mollis gramina carpit ouis.
Sic os, sic oculi fures, sic dulce labellum,
Sic dens candidulus, sic gena pulchra capit:
Vt viscum turdos, vt lenti retia casses
Et captant volucres, decipiuntque feras.
Sic animum incautum facies spectata fefellit;
Sic forma est oculis insidiata meis:
Vt turmas auium incautas mala fistula fallit:
Vt lupus impatiens insidiatur oui.
Sic facibus sæuis vruntur pectora amoris:
Sic cor missilibus tunditur vsque meum:
Vt vidi stipulas flammis crepitantibus vri;
Atque humiles tundi grandine sæpe casas.

Ad

Ad amicam.

LVx mea, quid toties oculis tua lumina nostris
  Vallata obscuris nubibus esse cupis?
Te sine nil lætum, nil pulchrum cerno: tenebris
  In medijs noctis te sine cæcus ago.
Quod sine sole dies, quod nox sine lumine Lunæ,
  Id, careat radijs si mea vita tuis.
Bina tui nobis sanctissima numina, ocelli
  Multis læta rosis tempora verna gerunt.
Aurea secla eadem reuehunt, annosque beatos:
  Nubila discutiunt, lætitiamque ferunt.
Addunt carminibus vires; facilesque Camenas
  Adiungunt: natas conciliantque Iouis.
Castalios eadem latices, vndasque propinant:
  Omnia luminibus sunt mihi prona tuis.
Res tamen vna nocet, quòd flammas lumina vibrant.
  Vnde mea assiduus pectora torret amor.
Sic nix Phœbeis radijs, cera igne liquescit;
  Vt mens igne tuo nostra liquescit iners.

Ad amicam munera poscentem.

QVID me diuitias, quid regia munera poscis?
  Quid toties vatem dona superba petis?

Sordida quid miserum poscendo perdis amantem?
Sollicitis precibus quid mea corda fodis?
Poma quid in medio speras decerpere ponto?
Dulcia quid pleno flumine vina petis?
Non fert bruma rosas, non flauas littora spicas:
Non pisces aer, non dabit æquor aues.
Esse inopes vates omnes., tenuesque poetas
Et Phæbus voluit, Pieridesque iubent.
Non nobis tardi veniunt ad aratra iuuenci:
Non timet audaces nostra capella lupos.
Nulla Ceres nobis tumidis flauescit aristis:
Iugera non curuus nostra bubulcus arat.
Non æris magno, non auri pondere fului,
Barbara non gemmis clauditur arca grauis.
Mercibus Assyrijs, opibusque orientis onusta
Nulla redit ponto littora nostra ratis.
Quas alij cupiunt, & non sine sanguine quærunt,
Vatibus ingentes effugiuntur opes.
Diuitiæ nobis magnæ sunt carmina; Phæbus,
Et, quæ nos ducunt, Aonidesque deæ.
Non nos, qui musas colimus, mercamur amorem;
Nostra nec ingenuum munera corpus emunt.
Quæ grata ambobus, quæque est iucunda voluptas,
Cur emitur nobis? venditur illa tibi?
An tu parua putas, obscuraque præmia versus,
Et, quæ perpetuum carmina nomen habent?
Delia cum Nemesi docti contenta Tibulli
Carmi-

Carminibus, nullas pulchra poposcit opes.
Non aurum Gallum petijt formosa Lycoris:
Non donis Naso est capta Corinna tibi.
Carminibus Lauram sibi conciliauit Etruscis
Franciscus, musæ maxima cura nouæ.
Dulcibus illa metris culti permota poetæ,
Munera nulla graui cepit auara manu.
Postulet informis, turpisque puella monile,
Et, quæ prostibulo fornicis ære meret.
Flagitet infectas Tyrio bis murice vestes
Ingenui, meretrix fœda, pudoris inops.
At tu, quæ proauis, pallaque ornaris honesta,
Despice magnanimo pectore dona virum.
Sordida cui mens est, non est ea pulchra puella;
Nec locus in forma sordibus esse potest.
Aut istam faciem depone; aut indue mores,
Qui tantum os deceant, conueniantque tibi.
Ut mentis capiat præstantia rura superbæ,
Quos magnus pulchri corporis vssit amor:
Aut, si tanta famis auri, si insania tanta
(Me miserum) versans corda nefanda tenet;
Munera lingua audax opulentum poscat amantem,
Aut, cui non Phœbus, Pegasidesque fauent.
Poscatur versus cuncto præstantior auro,
Æternumque pio vate petatur opus.
Qui donare potest præclara poemata, nunquam
Ille mihi, & doctis pauper amator erit.

Qui valet in cœlum nomen, formamque puellæ
Tollere dilectæ, sit tibi diues amans.
Sint tibi pro precio, & magnis, multisque talentis
Doctrina, & stabilis, præmia rara, fides.

Prognosticon, & votum in futurum annum.

ECCE *redit Ianus, primas reuehitque calendas*
Perfusus multa tempora cana niue.
Lux noua iam terris venturi nascitur anni;
Et toto lætum funditur orbe iubar.
Pulchrior è cœlo iaculatur lumina Titan:
Mitius & nostros respicit vsque lares.
Fraternis splendet radijs clarissima Phœbe:
Lætior & mersos ducit ab axe nouos.
Numina labentem cœlo quæ ducitis annum,
Tempora felices voluite clara dies.
Tu quoque, progenies magni formosa tonantis,
Alma Venus dextro labere fausta pede.
Et quæ nuda vales armatum vincere Martem,
Eripe de forti tela cruenta manu.
Aut fac pro stirpe Ascanij, populoque Quirini
Mucronem stringat, si furor arma monet.
Verum hæc curarum sit maxima cura tuarum,
Ne sit amatori sæua puella suo.
Neve pilas fugiat gelidas, orbesque niuales;

Aut

Aut missam excipiat clausa fenestra niuem.
Effice blanda Venus contortam læta remittat;
Ne tamen in glacie sit iaculata faces.
Vidi ego sæpe niues, quas candida dextera torsit,
Flammarum tacitos continuisse globos.
Et, quas credebat glacie restinguere flammas,
Infelix auctas pectore sensit amans.
Ipse quoque ex alto sua lumina vertat olympo
Juppiter ad sanctum, Pontificemque Pium:
Hinc fera Gallorum contundat corda; rebelles
Infracti redeant ad pia signa duces.
Verte tuas acies, equitum, peditumque cateruas
Gallia in hostiles, barbaricasque manus.
Gloria, quam quondam proceres peperere vetusti,
Accendat fortes ad pia bella manus.
Et tua Germani victricia signa sequantur:
Sarmatis auspicijs militet ora tuis.
Ad tua belligeri veniant vexilla Britanni:
Sponte feri currant ad tua castra Getæ.
Te proceres Latij, te rex comitetur Iberus:
Et tam iusta ferox induat arma Scythes.
Cunctæ deposito gentes errore recenti,
Prælia pro vera relligione gerant.
Et cruce signentur poscentes bella fideles
Purpurea reges, Pontificisque manu.
Pro Christo tellus, pro Christo militet æther:
Seruiat & Christo pontus, & aura duci.

Vin-

Vincuntur causa Turcæ, vincantur, & armis:
Atque iterum Romæ pareat omne solum.
Vaticana premat donaria barbara præda:
Roma triumphantes accipiatque duces.
Dentque pijs pedibus victores oscula reges:
Eoas acies dura catena trahat.
Suppliciter capti Proceres sacra flumina poscant:
Numina Romani Pontificisque colant.
Fidus, & infidus pastore regatur eodem:
Caula eadem lætum claudat vtrunque gregem.
Hunc annus finem accipiat; gelidusque December
Imponat bellis, vulneribusque modum.
Vt rediens Ianus videat sua limina clausa
Vectibus æratis, perpetuaque sera.

Ad Luciam.

QVID *facis ò rerum pulcherrima Lucia, ocellis,*
Lucia formosis insidiosa mihi?
Stulta, quid expectas? quid demens gaudia differs?
Prætereunt anni: cana senecta venit.
Inuida mors properat; fluit irreuocabilis ætas:
Et, quæ pulchra fuit, fit cito turpis anus.
Eia igitur, dum pulchra places, concede fideli
Oscula amatori grata puella tuo.

Ad

Ad eandem.

VITA fugit: celeri labuntur tempora cursu:
Et properat tacito mors inopina pede.
Forma perit, formæque decus, quique aureus olim
Crinis erat, canum fæda senecta facit.
Dum sinit ergo ætas mollis, viridisque iuuenta,
Dumque places, Veneris gaudia læta cape.

De viribus formæ.

QVO non cælestes animos, mentesque supernas?
Quo non mortales trudere forma potest?
Vincuntur tristis forma fera corda puellæ;
Austerique mouet pectora forma viri.
Sumere forma Iouem taurum, cycnumque coegit:
Alciden formam perdomuisse ferunt.
Ignaros vinci manes, & nescia flecti,
Atque expugnari tartara forma capit.
Forma igitur terris, forma & dominatur olympo:
Imperat & Stygio forma superba Ioui.

Pulchra, sed auara puella ad diuitem, eundemq; sordidiorem.

ME tua non facies, sed magna pecunia cœpit:
At (nisi mentiris) te mea forma capit.
Quod

Quod tibi vis tradi à nobis, opulentus habebis;
Si, quod formosæ poscimus, ipse dabis.

Responsio.

F O R M A *placet; sed mens tua sordida displicet ista:*
Sicque tibi (mirum) est ignis, & vnda simul.
Nam, quam pulchra facis flammam, restinguis auara:
Quæque infers, eadem vulnera nostra leuas.

De viribus voluptatis.

Q V A E *quondam Circe socios mutauit Vlyssis,*
Vertit & in sæuas mitia corda feras;
Hæc aliud nihil est nobis, nisi blanda voluptas
Æneadum genitrix, & Ioue nata Venus.
Vertimur in varios vultus, variasque figuras,
Capti blandicijs, delicijsque Deæ.
Vincla diu Circes cum fædo Elpenore passi,
Dulichium sequimur turba soluta ducem.

Ad Hieronymum Bonarellum
de hortis suis.

E S T *nymphis locus, & musis, & Apolline dignus:*
Est Venere, & tenero dignus amore locus.

Hort

Est Venere & tenero dignus amore locus

Hortantur nymphæ ad lusus, ad carmina Apollo:
Dictat versiculos Dorica musa nouos.
Ducit Acidalius furor ad præconia formæ:
In pectus tenerum spicula torquet amor.
Lude igitur Bonarelle tuos mollissime amores:
Quaq; tibi eripuit corda puella, cane.

De Parnasso monte.

EXCELSI *colles, sublimes cedite montes,*
Quiq; altis tumuli tangitis astra iugis.
Nam vestros tantum superat Parnassus honores:
Quantum alios superat Iuppiter ipse deos;
Ille cacuminibus Pyrrham seruauit ab vndis,
Cum mortale genus perdidit ira Iouis.
Castalios habet ille lacus, diuasq; camænas,
Et Phœbum, & Bacchum, Pieriosq; choros.
Ergo sacrum pete Parnassum, qui fluminis vndas
Lethæi immemores, diluuiumq; times.
Non metuit locus ille Iouem, non dentis edacis
Saturnum, & volucres, tempora longa, dies.

In Lycaonem.

QVO *tua te feritas rapit, ò scelerate Lycaon?*
Hisce paras epulis pascere stulte Iouem?

Quo tua te feritas rapit, ò scelerate Lycaon.

Igne domus combusta ruit; petis auia solus:
Nocturnumque malus frangis ouile lupus.

De Pyrrha, & Deucalione.

C*VM vidit lapides deponere Pyrrha figuram;*
Et formam silicem vertere Deucalion;
Quisque sui similes miratus corporis artus,
Vix putat humanum se reparasse genus.

De Phœbo, & Cupidine.

Q*VID Pythone tumes? quid iactas Phœbe sagittas?*
Ista tua assurgunt tela Cupidineis.
Ipse feras superas; ast ille hominesq;, deosq;:
Nec parcit matri blanda Erycina tibi.

Interpretatio Daphnes in laurum versæ.

V*ERSA est in laurum fugiens Peneia Phœbum,*
Et durus cortex virginis ora tegit:
Quòd lignum est, quæcunq; suum contemnit amantem
Virgo: Phœbe Deo est par tibi quisquis amat.
Sic vertant crudæ vultus, atque ora puellæ,
Et quæcunque suum spernit amata virum.

Ad Michaelem Cossum, Patritium Neapolitanum, poetamque egregium.

TE ne furor poterit Martis diuellere dulci
Musarum amplexu, Castalioq; choro?
Accendent igitur mitissima pectora dira
Ad fera terribili classica bella sono?
Aspiciet quisquam meditantem vulnera dextram?
Et tela in manibus sanguinolenta tuis?
Non facit ad cædes, nec ad impia prælia vultus,
Non animus, non mens, ingeniumq; tuum.
Arma alij tractent; pulchram per vulnera mortem
Exposcant: populos ad noua bella vocent.
Altera militia est te dignior; ipse Cupido
Te iubet in castris tutius esse suis.
Aptius hoc belli genus est iuueni, atque poetæ:
Cum Phœbo, & musis est bene iuncta Venus.
Quis non Aonidum verus modo cultor amauit?
Cuius non lecti carminis autor Amor?
Quisque suas pugnas canit, & sua prælia vates:
Quisque suas artes, insidiasque refert.
Pugnamus contra teneras, mollesque puellas:
Nos miles, nos dux, signifer atque sumus.
Ipse tamen, qui nos torquet, persæpe Cupido
Adiuuat; & cupidis tela ministrat Amor.
Sæpe etiam placidam mentem, pectusq; puellæ
Et mite ingenium carmina culta mouent.

Carmina Bistonij vatis traxisse feruntur,
Cum siluis plantas, flumina, saxa, feras.
Threicia fretus cithara, fidibusq; canoris
Mouit, & Ætneæ carmine corda deæ.
Carmina vim cœlo possunt inferre; parentis
Carmina naturæ frangere iura valent.
Lesbia carminibus doctis tibi capta Catulle est:
Delia cum Nemesi capta Tibulle tibi.
Carmine Nasonis facilis quoque capta Corinna est:
Ille fuit mollis, mollis & ista fuit.
Cynthia non ne tuo tibi carmine parta Properti?
Carmine non Gallo blanda Lycoris erat?
Pelluntur curæ, pelluntur carmine morbi:
Carmine rusticitas, duriciesque fugit.
Carminis obsequio teneri mollitur amica:
Mitia corda (mihi crede) puella gerit.
Carminibus quoties placata est Lucia nobis:
Quamuis ipsa grauis sit, mea musa rudis.
Fortis tormentis expugnat mœnia miles:
Expugnat versu pectora doctus amans,
Formosus forma, facundus diuite lingua
Fidit, diuitijs diues & ipse suis;
Cur non confidat vates quoque versibus? ecquæ
Non cupit ornari pulchra puella metro?
Fide igitur Cosse ingenio: tela abijce: fide
Parnasso, cultis carminibusque tuis.

Ad Quintium Riccium.

ERGO *tuo aspectu, dulcique carebimus vsque*
Colloquio? & miserum me premet vsq; dolor?
Ergo tuæ lucis radijs spoliata timebit
Dulcibus æternas cæca domus tenebras?
Collectas ergo temere, & iuueniliter iras:
Mitia seruabunt pectora perpetuas?
Non erit ergo graui sancto sermone magistro
Fas segnem interdum carpere discipulum?
Nunquid id est odium? est an amor? qui corripit, ille,
Crede mihi, id magno ductus amore facit.
Sæpe pater natum castigat, & increpat ore;
Sed tamen est nati maxima cura patri.
An quicquam nobis vno te carius? ornem
Cur non egregijs artibus ingenium?.
Tu me traxisti Firmum: mihi tradita summa est
Cura tui: genitor me tibi proposuit.
Te ne igitur patiar latias contemnere musas?
Te patiar Graias temnere Pierides?
Vtilitas mihi cara tua est, non vana voluptas:
Est placidi obsequij hoc, illud at officij.
Obsequio officium potius mihi: sit tibi acerbum,
Quod facio; sit mox vtile, sed pariter.
Qui tibi displiceo, placeo tamen ipse parenti:
Grata tua est nobis gratia, grata patris.
Verum, quod nostro complexu te abripit, vnum

Est id, quod patrem næ mihi conciliat.
Parce igitur, monitis animum si læsimus vnquam:
Atque graues iras excute pectoribus.
Ipse tibi parco, peccasti siquid; honestè
Iungamus sanctam rursus amicitiam.

Ad Octauianum Humilem poetam insignem.

DVLCIA *sunt, Humilis, nobis tua carmina; gratum,*
Iucundumque tuos sæpe videre modos.
Rusticus, ignauus, sim denique ferreus, atque
Mentis inops, auidè ni tua metra legam.
An ne potest quicquam fieri te dulcius vno?
Musa potest fingi blandior vlla tua?
Num magis optaui quicquam, quàm viuere tecum?
Quamque tuis numeris, colloquioque frui?
Sed quòd te raro inuisam, quod carmina nunquam
Nostra legas auidus, cura, laborque facit.
Cogimur antiquas doctorum voluere chartas:
His nocte, & tota his inuigilare die.
Inde latina mihi, sunt inde Etrusca petenda;
Inde &, quæ doceo, dogmata Graia peto.
Sunt aliæ curæ multæ: sed inertia partem
Nostri huius sceleris sustinet ipsa bonam.
Sæpe negant etiam vires, versusque camenæ:

Et crebro inceptum rumpere cogor opus.
Et quoniam faciles Humilis non assequor artes,
Scripta mea haud cuiquam posse placere reor.
Nec placeo ipse mihi: ingenium natura, negauit
Doctrinam, misero res mihi parua domi.
Hæc sunt, quæ faciunt, ineam ne prælia segnis;
Inuicto imbellis congrediarque tibi.
Et tamen ecce meum testantia pauca pudorem
Iam mittenda tibi proxima scripta leges.
Tandem sub nostris versantem cernere signis
Et licet, & natum gratulor ipse tuum.
Dux cupidi cupidus lectus sum militis: illum
Vt tua tutatur, sic mea cura iuuet.
Vt sermo, vt taciti vultus declarat imago,
Non erit indignus te patre; meque duce.
Si, quam discipulus docilis, tam forte magister
Doctus eram, poterat discere multa breui.
Sed doctrina fide pensabitur, atque labore:
Ille tuus fuerit filius, ille meus.

Ad Marcum Antonium Assaltum.

DELICIAE *Aonidum, Phœbi, & mea magna voluptas,*
Assalti generis gloria, splendor, honos.
Carminibus quid me emeritum in noua prælia poscis?
Quid segnem toties ad dubia arma vocas?

Te

Te vires in bella vocant; exsuscitat ætas,
Spes, animus, studium, Castalijque chori.
Nostra soporifero, longoque oppressa veterno
In tenebris latitans, fessa camœna iacet.
Nos premimur curis; vacua tu lentus in vmbra
Dulcia Acidaliæ dicere furta potes.
Certabit tecum cantando Quintius: illum
Norunt Parnassi numina; Phœbus amat.

De Martij mensis niuibus, atque frigoribus.

ROMVLVS *agresti populo cum scriberet annum,*
Et nulla in menses scinderet arte decem:
Nescius astrorum, naturæ ignarus, habere
Mauortem voluit tempora prima patrem.
Arma tibi nimium, castra & placuere Quirine:
Ignota optatæ commoda pacis erant.
Est anni male Romani data cura parenti,
Et bellatori credita prima dies.
A Marte auspicium tristes sumpsere calendæ:
Illud dissidij est causa, necisque Remi.
Illud finitimos populos, veteresque sabinos
Concitat; id leti causa fuitque tui.
Iunxisti Venerem Marti; mensique secundo
Nomen honoratum tunc Erycina dedit.

Sic

Sic fera corda patris mulceri posse putasti,
Si placida immiti proxima diua foret.
Nec penitus tua te sententia vana fefellit:
Placat amatorem nam Venus ipsa suum.
Nec tamen id potis est semper præstare; quòd ille
A dominæ abstrahitur sæpe furore sinu.
Sæpe quoque Ætnæo rediens Vulcanus ab antro,
Vxorem seruat, Marte dolente, timens.
Tunc insanus amans sæuit, furit, æstuat, atque
Tela manu valida sanguinolenta quatit.
Tunc natura timet, luctantur in æthere venti,
Tollitur vnda mari, nix tegit alta solum.

Ranarum conqueſtio ad Petrum Matthæum Meliorem.

QVAE *rabies malesana domos, & regna profanat*
Tristia, quæ ranis Iuppiter ipse dedit?
Quis furor euertit sanctos, patriosque penates?
Exiguis laribus tam fera bella mouens?
Quæ tanta inuidia est, quæ nec considere limo,
Nec patrijs ranas finibus esse sinit.
Quid cessisse iuuat Neptunia piscibus arua?
(Nam sponte immensum cessimus oceanum)
Quid prodest hamos timuisse, & retia? ponti
Quid non (heu) nitidas incoluisse domos?

Num nos exigui tutatur gurgitis vnda?
Num cæni insidias pessimus arcet odor?
Num pluuiæ cantus venturæ præscius, aut nos
Natura imbellis seruat ab hoste fero?
Corporis obscæni num forma ingrata tuetur?
Noxia num carnis vis metuenda malæ?
Quid tibi vis, Melior non re, sed nomine tantum,
Cum clam limosis insidiaris aquis?
In te quid miseræ ranæ commisimus vnquam?
In nos quid timidas impia bella geris?
Si gula te impellit sordens, stimulatque palatum,
Infer bella auibus, piscibus, atque feris.
Dat cœlum largam prædam; dat terra; dat æquor:
Cœnosæ ranæ sordida præda sumus.
Nobiscum viuunt, habitant, coeuntque rubetæ:
Illarum virus disce timere malum.
Nostra angues etiam lutulenti stagna frequentant:
Dum nos ipse capis, ne capiare, caue.
Ne pete tam vilem per tot discrimina prædam:
Sit tua, nostra simul sit tibi cara salus.

Ad gallos, gallinas, capos post festum Nicolai diem domum nostram afferri solitos ab auditoribus nostris.

QVID *facitis segnes? cur non de more frequentes*

Limina

Limina cristatæ nostra volatis aues?
Quæ mora vos retinet? vestros quæ causa volatus
Impedit? aduentus præteriere dies.
Non volitat curuis pedibus, rostroque timendus
Miluius audaci culmina nostra super.
Callida non cautas nectit vulpecula fraudes;
Illa domi nunquam est insidiata meæ.
Nulla igitur causa est nostros vitare penates;
Quos non communis vitat Apollo Deus.
Ille sui musis etenim comitatus amicis
Non timet interdum vatis adire domum.
Cristati generis dux inuictissime, lucem
Carmine qui reuehis, significasque diem;
Vnus, qui cantu, & crista terrere leones
Diceris, & Libyæ cogere terga dare;
Ad nostros properare lares, & castra mouere
Agmine ne timeas te comitante tuo.
Ipse omnes alios, qualis cristatus Achilles,
Celsus eques, ductor prægrediare tuos.
Pone tuos gressus seruet fidissima coniux:
Martia post miles signa sequatur ouans.
Extremus veniat, cunctantiaque agmina claudat
Imbellis, cessit qui tibi regna, capus.
Vt victor tendit celsa in Capitolia Cæsar:
Sic decet ad nostros Galle venire lares.
Teque, tuumque senes, pueri, iuuenesque triumphum
Conspicient: carmen docta puella canet.

Segnitiem exprobrans nostram, testabere metris
Iam matutinis ales adesse diem.
Dansque expergificas pleno de pectore voces,
Ad solitum studij me reuocabis opus.
Oua autem interea gallina recentia coniux
Enitens nobis officiosa dabit.

Ad vallem Siculam in Marsis de Pansæ aduentu ad latrones, sicariosque tollendos.

MARSORVM *vallis pulcherrima, dicta recenti*
Nomine Sicelidos, Trinacrijque soli,
Forte quòd has oras Siculi tenuere coloni;
Diues & antiquos insula misit auos;
Quodque suos cano transmittens ignea Corno
Agricolas gelidis credidit Ætna iugis,
Excipe Saturni redeuntia secula tandem
Læta senis; reddit tempora prisca Deus.
Ille tuos claro miseratus ab axe labores
Mittit defessis ocia sera viris.
Ante tamen Cacum, sæuumque Lycaona perdet,
Perdet & Antæum, Gerionemque triplum.
Viribus Herculeis, & claua cæsa trinodi
Cætera terrarum monstra videbis ouans;
Est opus Alcidæ magni portenta, ferasque
Tollere, mortales eximere atque metu.

Ad nos à magno demiſſus Panſa Philippo
Iuſque, fidemque, ſacrum faſque, piumq; refert.
Hic pulſam Aſtræam terris, reuocabit olympo:
Redderis regno virgo pudica tuo.
Marſorum colles, princeps lætetur Alarcon:
Gaudeat Adriaci littus, & vnda maris.
Gaudeat ipſe ſuis cum collibus Apenninus,
Et montanorum ruſtica turba Deum.
At tu, qui gemino mons ſurgis ad æthera cornu.
Frigidus hiberna tempora cinge niue.
Non niſi Cyclopas nuper ſpectare dabatur,
Latronum cætus, ſemiferaſque manus.
Nunc vero aſpicies nymphas, comiteſque Dianæ:
Et tua præpinguis gramina paſcet ouis.
Errabit virides nullo cuſtode per herbas;
Tondebit dumos læta capella tuos:
Fronde ſuper viridi grata proiectus in vmbra
Cantabit flammas Tityrus ipſe ſuas.
Non ſepta inſidias, non vim, ſcabiemq; timebunt;
Non cinctum vallo claudet ouile gregem.
Carpet iter tutus noctuque, diuque viator:
Externas cupiet nullus auarus opes.
Nullus perlongo committet ſemina ſulco:
Nullus præduro vomere ſcindet humum.
Sponte ſua tellus feret omnia: grata perennes
Vina dabunt fontes: flumina lactis erunt.
Quicquid nunc vſquam ferri eſt, vertentur in aurum:

Clau-

Claudetur belli porta cruenta feri.
Nulla teget nubes radiantia lumina Phœbi:
Nullus Tyrrhenas conciet eurus aquas.
Ver dabit æternos flores: ex arbore quoque
Mitia poma graui mense puella leget.
Non fasces quisquam metuet, iustasque secures:
Nullus erit morbus, non labor, atque dolor.
Eia igitur læti venienti occurrite Pansæ,
Quos nullum crimen sollicitare potest.
Palladios pueri ramos, pæana canentes,
Tendite; candentes sparge puella rosas.

Ad Vincentium de Luchis Episcopum Anconitanum pro Alexandro Malatesta gratiarum actio.

HIPPOLITVS *quòd tractus equis; quòd traxerat Hector*
Peliden contra, pergama celsa diu;
Quodque Neoptolemus puer est in castra profectus;
Quòd puer Astianax regius vrbe fuit;
Nomina sumpserunt; sic tu Vincentius, omnes
Quod vincis, credo, dictus es ore Deum.
Dicere non ipsi tanto potuere parentes
Nomine, non hominis vox fuit illa quidem.
Quippe Iouis monitu, vel Apollinis ore vocaris.
Victurum poterat non nisi scire Deus.

Vincis

Vincis enim cunctos vnus proceresque, virosque
Virtute, ingenio, iustitia, atque fide.
Vincis Alexandum splendore; & sacra professus
Vincis Romanum relligione Numam.
Et quamuis multæ, ac magnæ te ad sidera tollant
Virtutes, non est, sed tamen illa minor;
Quòd pueros, iuuenesque Deum, templique ministros
Suscipis, exemplo muneribusque iuuans.
Per te præclaras dociles cognoscimus artes.
Per te Pierios discimus ire lares.
Est tua, quòd tegimur pietas; tua cura, quòd artus
Effugiant æstus, effugiantque niues.
Ecce tuo iussu, sumptuque tributa lacerna
Nunc noua cum palla corpora nostra tegit.
Optime pro tanto quid reddam munere princeps?
Quid? nisi versiculos, quod mea musa potest?
Dij reddant meliora pij; grauiorque tiara
Exornet meritas purpura sacra comas.
Dentque tuis tandem pedibus sancta oscula Reges:
Atque vnus totum Pastor ouile regas.

In Helenam Vendraminam Virginem Venetam.

DVM *dubitat, faceretne Deum, faceret ne puellam*
Iuppiter; ecce dea es facta, puella simul.

Sed

Sed dea dum fieres, dubitat, Venus, an ne Minerua
Virgo fores; subito es facta Minerua, Venus.
Cumque Mycenææ placuisset forma puellæ,
Illius egregiam te capere ora iubet.
Sic Iouis est magni summo de vertice partu
Vno nata Helene, nata Minerua, Venus.
Forsitan & Iuno diuum regina fuisses:
Si non illa soror, tu Ioue nata fores,
Idem, qui genuit, certo sic fœdere sanxit;
Nequa Iouis natas tangeret inuidia:
Vatibus antiquis tu prisca Minerua faueto;
Tu noua nostra nouis nata Minerua faue.
Tu Cytherea Venus vulgaris mater amoris;
Cœlestis Veneta hac mater amoris erit.
Tu cupidis rapiare viris Spartana puella;
Vna homines rapias tu Veneta, atque Deos.
Æterno imperio magni cessere tonantis:
Assurguntque nouæ numina prisca deæ.
Sic quicquid Pallas, Venus, & formosa Lacæna,
Priscæ habuere deæ tres, habet vna recens.

In Dianam Melioratam Cosmi Cosolini vxorem vita functam.

DESPICIENS *terras summi moderator olympi*
Magnus, ad Adriacas lumina vertit aquas.

Cum

Cum tua strata solo, curuati littoris Ancon,
Vidit Acidaliæ templa superba deæ.
En collapsa iacent pulchræ delubra Erycinæ:
Vrbs, ait, an maius Dorica numen habet?
Dixerat; atque oculos dum curua ad mœnia torquet,
Occurrit summo pulchra Diana Ioui.
Tres illam Charites, totidem nymphæ, atque Cupido
Quod sequitur, dubitat, sit ne Diana Venus.
Perculsus forma ingenti miratur, & ardet,
Et cupit, & dignam, quæ colat astra, putat.
Ista Diana Venus, Venus ista Diana videtur:
An neutra est, quoniam maior vtraque dea est?
Ornabis nostros formosa, & casta penates:
Non es mortali femina digna toro.
Sic ait; & raptam complexus ad æthera velox
Euehit; & magnam tum iubet esse deam.

Ad Protonorarium Baleonem Pontificiæ classis legatum.

SIs ne toga, an bello maior, iustissime Princeps,
Cogimur à magno nunc dubitare Pio.
Nam, qui te voluit populis modo dicere iura,
Nunc classi inuictum præficit ille sacræ.
Jura Numa & poterat sancire, & condere leges:
Sed virtus illi bellica nulla fuit.
Vicit finitimos, & gessit bella Quirinus:

X At

At non composuit moribus ille suos.
Sed tu iure Numam superas, armisque Quirinum:
Hostibus es terror, spesque, quiesque tuis.
Ante tuos Themis incedit iustissima gressus:
Tristia Gradiuus post quatit arma pater.
Altera quam faueat tibi, Dorica nouerat Ancon:
Alter quam faueat, discere Turca potest.
Te Tyrrhena cohors, & te Picena iuuentus,
Regia ductorem Roma sequetur ouans.
Te proceres Veneti, populus, sanctusque Senatus
Seruabit; tecum miles Iberus erit.

Ad Ioannem Austriacum Christianæ classis contra Turcas Imperatorem.

DVM *Cytherea polo pulchros conuertit ocellos*
Ad sua dilecta templa vetusta Cypri;
Barbarus hæc, inquit, Veneri gratissima regna
Vastabit miles vulnere, cæde, fame?
Ipsa meas patiar dulces incendia sedes
Vrere? nostra truci concidet ara manu?
Pulchra Iouis proles, materque Cupidinis alma,
Turpe dea imperium Martis amica feret?
Sic ait incensa; & Siculas defertur ad oras
Vulcani, Ætneas ingrediturque domos.
Arma petit diuina virum, queis concidat hostis;
Sitque vnda Ambracij tincta cruore sinus.

Non

Non illa Æneæ, non Marti tradit, utrunque
Ætolo meminit succubuisse duci.
Cæsaris inuicti prolem fortemque, piamque
Dignam diuino munere diua putat.
Hunc adit, & iuueni Vulcania detegit arma:
Mirantem alloquitur sic dea blanda virum.
Certa Deum soboles, Cypri Dea, mater Amoris,
Hæc tibi nunc offert arma gerenda Venus.
Turcarum imperium euertes, & fortia regna;
Concedent armis omnia victa tuis.
His mihi restitues Cyprumq; Paphumq; Gnidumq;,
Sublato imperio, barbaricoque iugo.
Contundes genus indomitum, populosque feroces:
Pulsabis fama solis vtranque domum.
Te minor Alcides, obscurior ipse Quirinus;
Et tibi Pelides, Marsque secundus erit.
Cumque omnes gentes, & totum viceris orbem,
Subdiderisque pio barbara colla iugo:
Ascendes tandem cœlestia templa triumphans;
Conptaque perpetua tempora fronde geres.

Ad Pium Quinctum Pontificem Maximum, de victa Turcarum classe.

QVOD *coniurati veniant ad classica venti;*
Et faueat Christi pontus, & aura rati;
Quòd victas classes, & barbara signa referre

Cernamus nostros ad pia templa duces;
Quodque catenatas acies, regesque superbos
Spectes Roma tuo subdere colla iugo;
Quòd duplices vno populi pastore regentur;
Atque vnum duplicem claudet ouile gregem;
Fit superum studio, fit certo numine diuum;
Fit prece Romani, Pontificisque Pij.

Ad Marcum Antonium Columnam.

CANTEMVS *victas pueri, innuptæq; puellæ*
Eoas acies, Threiciasque rates.
Cantemus captos reges, populosque superbos,
Barbaraque inuicta signa relata manu.
Fronde sacra, & viridi victricem cinge Columnam
Roma, triumphantem suscipe læta ducem.
Non tam Scipiadas veteres coluere Quirites;
Quam coleris cunctis alta Columna locis.

Hos ad Pium Quinctum Pontificem Optimum, Maximum, atque ad Marcum Antonium Columnam superiores versus de nauali nostrorum victoria de Turcis Anconæ autor, vbi tunc publicè bonas literas profitebatur, ac docebat, cum fecisset, vni ostendit Paulo Monaco Anconitano viro artium ingenuarum, reique in primis poeticæ studioso, quo familiariter vtebatur, cuiusve hortatu, impulsuque eos fecerat; qui cum à

Paulo

Paulo Romam missi fuissent ad aulicum nescio quem literatum hominem, forte factum fuit, vt ab illo demonstrati, traditique cum fuissent iys, qui tunc quicquid tota Italia de tanta re, tantaque victoria à quoquam metricè, poeticeque scriptum fuisset, conquirendum curabant, mittendumque ad Vrbem, ab illis vnà cum præstantium poetarum, virorumque ingenio, & doctrina laude insignium præclaris carminibus permultis, editi sint, inconsulto, ignaroque autore. In quæ forte carmina si vnquam incidisti, bone lector, scito à typographis in quarto eorum, qui ad Marcum Antonium scribuntur, versuum erratum esse: nam, cum in autographo scriptum esset signa relata, illi, deprauata, vitiataque scriptura, signa impressere, ediderēq; Zelata; cui quidem voci nullus ibi esse locus poterat omnino. Id ne suo factum vitio, erroreque crederes, voluit te autor ipse non ignorare. Vale, & ad reliqua legenda perge libenter.

In prædonum Turcarum cymbam captam à Veneta trireme.

TRAIANI *monumenta pij, portusque vetustus,*
Gaudet, & vrbs Dorum nobilis vna sinu.
Cymba feri Thracis trahitur captiua remulco,
Quæ modo complerat littora cuncta metu.

En

En tibi seruatus cum libertate salutem
Acceptam trepidus nauita, Marce, refert.

In Diuum Augustinum.

MAIOREM *eloquium faciat, doctrinaque an alma,*
Augustine, fides te, dubitare licet.
Dum legimus libros, miramur fulmina linguæ;
Miramur calami scripta beata tui.
Dum vitæ cæleste genus spectatur honestæ;
Diceris, & merito, maximus esse patrum.

In monumentum Iesu Christi Dei, & hominis.

VITAE *autor, mortem moriens qui strauit, & orbi*
Morte dedit vitam, mortuus ecce viget.

In Valerium Argolicum generum egregium pilæ lusorem.

IPSE *pilam torques; torquet quoque Iuppiter orbem:*
Quis te igitur similem nunc neget esse Ioui?

In Terminum.

DVM nullus priscos dirimebat terminus agros:
Iurgia clamoso nulla fuere foro.
Litibus vrbs; bellis, atque ensibus arua carebant:
Terminus in gladios vertit aratra malus.
Aurea Saturni sunt secula dicta, quod illum
Non habuere: grauem dispulit vrbe Plato.
Quare, siquis erit, placeas cui, Termine, eidem
Illi etiam lites, iurgia, bella placent.

In eundem.

VT tollas, non vt facias, bone Termine, lites,
Te priscus longo limite cœpit ager.
Verum, cum facias, non tollas, Termine, lites;
Es procul è cunctis eijciendus agris.

In eundem.

AN nouus à veteri quid distet Terminus, optas
Scire? tacet priscus, garrit at vsque nouus.
Hostis erat litis priscus, bellique; sed iste
Et quærit lites, & noua bella parat.

In eundem.

OMNIA dicuntur magno cessisse Tonanti
Numina; non cessit Terminus ipse tamen.
Anti-

Antiquam retinet mentem, veteremque figuram:
Estque lapis durus, durus, vt ante fuit.

In eundem.

QVA *re conueniat cum prisco Terminus illo*
Iste recens, paucis accipe versiculis.
Est informis vterque lapis; neuterque peritus
Magnis hic diuis cedere, at ille viris.

In Picum.

TELA *parat Picus; meditatur, & impia bella;*
Antiquam meminit se quia Martis auem.

In eundem.

QVIS *te fecit auem? quis sparsit corpora plumis?*
Ora quis in rostrum vertit honesta loquax?
Doctus equum domitor, magnus Rex Pice fuisti:
At nunc es (miserum) garrula factus auis.
Scilicet hoc Circe debes, tibi barbara Colchis.
Saeua veneficijs sustulit ora suis.

In obitum Benuenuti Pauesij Anconitani adolescentis.

FORTVNATE *puer, teneris qui ereptus ab annis,*

Scandis

Scandis ad æternas, ætheriasque domos.
Felix, qui frueris, nobis, terrisque relictis,
Concilioque Deum, colloquioque Iouis.
Felix, qui pedibus nunc calcas astra beatis,
Libans cælestes, ambrosiasque dapes.
Felix, cui superi plaudunt, lætatur & æther:
Quemque facit diuum mensa beata Deum.
Felix, qui, nebulis scissis, tenebrisque remotis,
Conspicis vnius numina terna Dei.
Nos vero sine te miseros, mæstosque perennes
Conficient lachrimæ, perpetuusque dolor.

In obitum Vicentij Cuprensis, qui disco ictus leui capitis vulnere interijt.

VINCENTI *infelix, generis spes, cura, salusque*
Vna tui, & miseræ splendor, honosque domus;
Ereptus terris, & funere mersus acerbo,
Traxisti tecum fasque, piumque simul.
Gaudia tecum vnà perierunt cuncta tuorum:
Tecum vnà est omnis mæsta sepulta domus.
Tecum virtutes, tecum periere camenæ,
Tecum omnis patriæ est gloria rapta tuæ.
Tecum Auia & luctu, & senio confecta, Sorores,
Tecum atrata simul corruit ecce Parens.
Omnia, quid multis? tecum clauduntur in vrna

Ornamenta tuæ, signaque prisca domus.
Tu terris puer excedens, petis astra beatus:
At nos hic tristes conficimur lachrimis.

Eiusdem epitaphium.

DISCO *Vincenti, disco & tu Hyacinthe peristi:*
Flos tu; flos & tu: tu puer, hicque puer.
Te Phœbus, sed te imprudens occidit Vlysses:
Par mors, par vita. ast altera causa necis.

Pagani Centurionis epitaphium.

STRENVA *victorem referentem signa Paganum*
Mars, mors, liuor edax vidit, & indoluit.
Sic, quem non hostis Gallus, non tela, nec ignes,
Eripuere suis numina terna ducem,

Francisci Probi Adriani iurisconsulti epitaphium.

HIC *ne Probus? Probus hic, probitas, ius, fasque, piumque*
Ecce iacent; quin mors improba, liuor edax.
Mors ne Probum? mors ipse Probum; sed fama superstes
Magna Probi mortem, & sustulit inuidiam.

In obitum Francisci Fatioli Anconitani medici, poetæque præstantis.

TVNDITE *Pierides, castissima turba, sorores*
Pectora, flauentes dilacerate comas.
Lugete Ausoniæ mecum, Tuscæque camenæ,
Nympharumque manus, Naiadumque chorus.
Jn mare Tyrrhenum turbatis tristior vndis
Rauca sonans longe Tybris, & Arnus eat.
Jlle Machaonijs studijs tibi carus alumnus
Phœbe tuus celeri funere mersus obit.
Æmula grandiloqui musa est extincta Maronis,
Prælia quæ cecinit, quæ cecinitque duces.
Viuat, & Æneas Etruscus vbique legatur;
Sitque precor, vati grande superstes opus.
Laurus culta mei Francisci carmine vicit,
Dulcis amor domini, deliciæque tui.
Abijce tela, faces, aurumque refringe Cupido:
Scinde Iouis crines aurea nata tuos.
Vobis cultorem, & vatem mala fata tulerunt.
At mihi præsidium, dimidiumque mei.
Tecum Francisce en risus periere, iocique,
En tecum Charites, Pegasidesque simul,
Omnia dum mœrent; gemit Adria; luget & Ancon:
Tu nos destituens lætus ad astra volas.

In obitum Vincentij de Luchis Episcopi Anconitani Dialogus. Ancon, & Vincentius.

Ancon. OPTIME *pastorum quo pergis? Vinc.ad æthera. Anc. cantus*
Hic quis? Vincen.cœlicolæ, me redeunte, canunt.
Ancon. Qui comites? Vincen.sequitur nostros Astræa triumphos,
Relligio, pietas, cum probitate fides.
Ancon.Vnde tibi, felix, tanta est victoria parta?
Vinc. De mundo, insidijs, illecebrisque suis.
Ancon.Cui me commendas tristem, flentemq; ? Vinc. fidelem
Gregorio: is vobis pabula læta parat.
Ancon.Cuncta tuo mærent discessu. Vincen.at gaudet olympus:
Ancon. Adria tristatur. Vinc.sed chorus iste canit.
Ancon.Quid faciam, vt tecum viuam? tecumque triumphem?
Vinc. Exemplo mundum spernere disce meo.

Epitaphium Pirelli patritij Gallipolitani repentina morte, dum caneret, extincti.

VIXISTI *patriæque decus, splendorque tuorum;*

Hinc

Hinc fit, vt ascendas astra, Pirelle, canens.
Iuuisti viuens homines pietate, Pirelle;
At cantu moriens astra, deosque iuuas.

In obitum Cameratæ Bergomatis
Anconæ negotiantis.

QVOD *mortale fuit, non hoc, Camerata, fuisti;*
Sed, quod, deserto hoc corpore, viuit, eras.

In eundem.

DVM *tibi mors, Camerata, breuem negat improba vitam,*
Stulta dat æternam, cælicolisque parem.

In eundem.

TE *ciuem esse suum mæstissima prædicat Ancon:*
Iactant Bergomates: te tamen astra tenent.

In Apologiam Aquilantis Simonetti.

DESINE *lingua procax sanctos lacerare poetas:*

Desine

Desine diuinum commaculare genus.
Zoilus, inuidia magnum quod carpsit Homerum,
Ægypti est præceps, rege iubente datus.
I nunc, aude amens ipsas damnare camænas,
Musarumque patrem, principiumque Iouem.
Sunt curæ superis vates; sunt carmina diuis;
Estque virens Clario laurus amica deo.
Ipse Aquilam vltorem claro demisit olympo
Iuppiter; & clypeum, tum rapida arma dedit.
Ægide, ait, metuenda meos tutare poetas:
Hoc hostes vatum fulmine sterne malos.
En Iouis imperijs Aquilantes paret; & arte
Diuina sacros protegit vsque viros.
Torquet in aduersas acies, sæuosque gigantes
Inuictus valida tela Typhæa manu.

In Nocturnos Francisci Ferretti Anconitani
Diui Stephani equitis, & Tribuni
militum dialogos.

DVM *scribenda facis, scribisque legenda, docesque*
Et gladio, & calamo martia iura duces;
Mollia dum duris, dum misces tristia lætis;
Et condis lepidis horrida bella iocis;
Certatim Ferrette sibi rapiuntque, trahuntque
Te Mars, & summo vertice nata Iouis.

In

In Benuenuti Stracchæ Anconitani iuriſconſultiſſimi viri libros.

QVID dubitas iam certus opum, certuſque ſalutis
Nauta procelloſis pandere vela notis?
Quid dubitas vndis fragilem committere cymbam?
Quid curſum pauidi ſæua moratur hiems?
Quid pluuiæ terrent hyades? quid triſtis orion?
Quid breuia, & ſyrtes, nomina vana, times?
Straccha tenet clauum: ſtraccha eſt in puppe magiſter
Quo minor Æmonius nauita Tiphys erat.
Hic rapidis nimbis, luctantibus imperat auſtris;
Certus & incerto dat rata iura mari.
Quod non alma poteſt natura, hoc Straccha phaſelo
Tradidit, æquoreas temnere iure minas.
Sidonijs Helice, Grais Cynoſura notetur
Puppibus; Oebalias Tyndaridæque regant.
At te Tyndaridis, ambobus certior arctis
Securum Stracchæ lucida ſtella regat.
Hic tibi ſit Iuno, Neptunnus, & Æolus; atque
Vnus pro terno numine Straccha Deus.

In alios eiuſdem libros.

SPLENDOREM obſcuris, rudibus cultumq; parare,

Et

Et confusa suo quæque locare loco,
Et iuris firma vincire soluta catena,
Et nodos omnes soluere difficiles,
Corrigere errores, & manca explere perite,
Est opus ingenij maxime Straccha tui.
Respondes prudens sic, vt cortina fideli
Non sit responso certior vlla tuo.
Consulis: est grauitas, doctrinaque tanta, fidesque,
Inconsulta sciens vt videare Themis.
Tam rara probitate caues ex arte clienti,
Nullus vt insidijs sit locus, atque dolis.
Eia igitur macte ingenio, prodesse labore
Perge tuo, atque homines iusque, piumque doce.
Hac iter æthereum munire licebit olympum:
Dircæo æquabit te labor iste Deo.

Superiores versus in Aquilantis Apologiam, Francisci Ferretti dialogos, & Benuenuti libros, etiam si cum autorum, quos modo nominaui, operibus, quæ dixi, impressi fuere, visum est tamen poetæ, vt in vno, eodemque libello sua omnia, lector humanissime, haberes carmina, cum reliquis hæc poematibus edere, quæcunque condidit, atque composuit.

In eiusdem Benuenuti obitum.

IVRA *silent; legesque tacent; æquumque, bonumque*

Occidit;

Occidit; & rectum, fasque, piumque iacet.
Plorat cana Themis: terrisque Astræa relictis
Rursus ad ætherias euolat atra domos.
Lugent Pegasides: gemit aurea mater Amoris;
Te decorat lachrimis Straccha Minerua suis.
Adria luctisono mugitu littora pulsans,
Conqueritur lachrimans se superesse tibi.
Ancon mœsta parens, manibus conscissa capillos
Flauentes, querulis percutit astra sonis.
Omnia dum mærent squalentia, gaudet Olympus
Auctus nominibus, numinibusque tuis.

Ad Laurentium Lentium Firmanum Episcopum, ac principem in Gallicis ad Truentum castris Pontificium Legatum pro Marani adolescentibus.

FIRMANE *Antistes, Princeps sanctissime, cuius*
Consilijs regitur res Gallica, & Itala virtus,
Mos patrius, tua relligio, pietasque, fidesque
Nos ad te intrepidos, lætosque in castra vocauit.
Nam martyr nostris præest Bassus episcopus aruis;
Cuius Quintilis reuehent modo sacra calendæ
Annua: detegitur loculus; populoque beati
Martyris illæsum corpus tunc cernere clauis
Transfixum fas est ferreis plantasque, caputque;

Huic ergo, quoniam pro Phœbo, proque Mineruæ
Egregijs fauet ingenijs, pœanaque, & hymnos
Cantamus, tedasque pios sacramus in vsus
Ex cera niueas: morem seruare parentum
Exiguæ vires nos non patiuntur acerbo
Hoc anno, nisi relligio tua, maxime Princeps,
Sit nostræ præsto pietati, & gratus egenis
Perpetuo Bassi celebreris carmine ad aras:
Ille vt te meritis exornet honoribus, atque
Terrarum, ac cœli moderandas tradat habenas.

Ad Regulum Palliani Pauli Quarti Pont. Max. fratris filium pro ijsdem.

MAXIME *Dux, gentis Carafæ gloria, honosque,*
In quo Labentis Latij spes nititur vno,
Ad tua relligio, ac pietas tentoria traxit
Nos ingens solitos Basso dicare quotannis
Candentem tedam, atque hymnos cantare calendis
Quintilis: fuit is iam Bassus episcopus, atque
Pro Christo occubuit martyr, Perrennius in ignes
Illum pertraxit, quòd ferre negaret honores
Priscis numinibus, Phœbo, Martique, Iouique:
Non tamen absumptus flamma est; nam flamma refugit
Id scelus: est virgis cæsus; plantasque, caputque
Traiectus verubus ferreis: ereximus aras

Inter

Inter cælicolas illi, diuosque relato
Nos humiles, ac deuoti, tua turba, Marani,
Cuius agros curat: præsenti sæpe periclo
Nos ille eripuit: pro Phœbo, proque Minerua
Ingenijs fauet; & iuuenes complectitur omnes,
Qui celebrant musas Graias, musasque latinas.
Quare, vt de more ad sanctas fax ardeat aras,
Exiguis nostris sit præsto viribus ista
Insignis tua relligio, pietasque, fidesque,
Quæ patrum Paulum Quartum super æthera vexit,
Et quæ te in terris faciet per secla beatum.

Ad eundem pro ijsdem.

OPTIME *Dux, pietas hesterna luce coegit*
Ad te iuxta vndas canantem accedere fontis,
Nos, Bassi sacras colimus qui martyris aras;
Esse importunis pro relligione poetis
Fas est: ipse iterum Bassus nos mittit honestum
Oratum auxilium: da Princeps magne precamur,
Et vati, & vatis socijs tua tollere ad astra
Gesta quidem cupidis nullum interitura per æuum:
Vt pietate tua fax candida luceat ante
Annua solennes diuini martyris aras.
Nonne vides, vt relligio percussa decorum
Pectus, opem imploret, Carafamque inuocet auram,
Ad fortes prostrata pedes? ergo improba egestas

Coget nos patrios mores, ritusque vetustos
Linquere, te non ignaro, cui numine diuum
Est Petro merito magni data cymba regenda.

Ad Paulum Iordanem Vrsinum pro ijsdem.

VRSINI *generis lux, inuictissime Paule,*
Militiæ Italicæ spes, magnæ gloria Romæ,
Ad te mos patrius multos seruatus in annos
Mittit opem oratum pro relligione parentum
Seruanda, & prisca veterum pietate tuenda.
Annua Quintilis celebrantur festa calendis
Martyris eximij Bassi, qui rura Marani,
Arua, laresque fouet, cuius, post secula mille,
Cernitur intactum corpus, miracula præstans,
Inter cœlicolas positum testantia diuum:
Huic nos, qui humanis studijs incumbimus hymnos
Cantamus, ferimusque faces, vt luceat igne
Perpetuo Bassi delubrum, ac martyris ara:
Auspice nanque illo eloquium Graium, atq; Latinum
Discimus: ille nouos versus, noua carmina dictat.
Verum, cum tenues, paruæque hoc tempore vires
Sint nostræ, visum est te, Princeps optime, ab vno
Auxilium exiguis nostris exposcere rebus.
Præbe igitur dignum te Roma, & sanguine nobis
Vrsino, atque animo illustri, vultuque sereno,
Tristitiam, & Martis quo nubila discutis atra.

Ad

Ad Gallum Pontificiarum, & Gallicarum copiarum Imperatorem pro iisdem.

GALLORVM splendor, secli noua gloria nostri,
Præsidium Italiæ, regnorum terror, ad oras
Quem nostras traxit pietas, atque impulit æquum
Relligio ad bellum, atque alpes transire coegit
Aerias, vt Pontificem, latiumque, patresque
Tutos conspiceret delecto milite Roma.
Mos nostri generis priscus, pietasque parentum,
Fama tua insignis nos ad te in castra vocauit.
Qui quondam musas Graias, iuuenesque Latinas
Siue graues, siue humanas coluere camænas,
Quinquatrus doctæ celebrabant festa Mineruæ:
Verum, vbi priscorum cessarunt vana deorum
Nomina, & æternam vitam deuexit olympo
Humano Christus generi, cæpere fideles,
Quisque suos, populi diuos colere, inde Maranum
Est vsum oppidulum hoc nostrum duce, & auspice Basso
Egregio; fuit is tum Bassus Episcopus, atque
Fortiter occubuit pro Christi nomine martyr.
Illum, Iunonem, Martem, Veneremque, Iouemque
Quòd spreuit, medios ter sæuus traxit in ignes
Perrennus, Cupræ qui ius dicebat apricæ:
Ter scelus id refugit (dictu mirabile) flamma:
Tandem cum Christum fateretur Episcopus ore
Intre-

Intrepido, virgis cæsum, manibusque reuinctum,
Per plantas clauis ferreis, per cruraque adactis,
Præfectus Bassum traiecit: cernitur & nunc
In capite, & pedibus clauorum magna fenestra.
Nam, cum Quintilis renouant pia sacra calendæ,
Ad loculum propius fas est accedere; totum
Collustrare oculis corpus licet, ora tueri
Integra, nullo æuo læsum, corpusque beatum:
Illi tunc pueri, & iuuenes, qui discimus artes
Ingenuas, hymnos canimus, tedasque ferentes
Ex cera candente hilares, lætique dicamus.
Id, licet exiguum, paruumque feretur ad aras
Haud quaquam hoc anno munus, nisi, maxime Princeps,
Auxilium præstet nostro tua dextra labori.
Da te igitur facilem nobis; vt Bassus, & ipsi
Se tibi dent superi faciles, tradantque regendum
Terrarum imperium, debellandosque tyrannos;
Et post innumeros annos te ad sidera tollant.

Ad Gallicos principes, præfectosque pro ijsdem.

GALLORVM *proceres, Henrici magna secundi*
Spes, Mauortis honos, Italas qui accestis ad oras,
Pipini, & Caroli magnorum exempla secuti,
Italia vt cernat vestra virtute superbos

Perdo-

Perdomitos, altæ ſecuraq; mœnia Romæ,
Pontificemq; metu, & belli terrore ſolutum
Veſtro ſubſidio, ſaluete, & condite veſtris
Pectoribus mea dicta. Lares, agrosq; Marani
Baſſus martyrium pro Chriſti nomine paſſus
Seruat, adhuc corpus poſt multos integer annos.
Quintilis lux prima illum demonſtrat: honores
Quiſque ſuis diuo pro viribus exhibet; artes
Ingenuas nos ſectantes, muſasq; Latinas,
Et Danaas, canimus laudes, pia thura, precesque
Dantes: & ferimus tedas, quibus ara perenni
Luceat igne ſacro: verum niſi Gallica noſtris
Viribus auxilium præſtet clementia paruis,
Hoc anno patrius ſeruatus tempore longo
Mos, & religio veterum, pietasq; peribit.
Quare animis lætis, larga dextra, atque benigna
Fronte hic exiguis noſtris ſuccurrite rebus.

Ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, dum Anconem venturus diceretur.

SALVE *hominum, ſuperumque decus, lux maxima olympi,*
Ignis, amorque Iouis, docta, & pia cura Mineruæ,
In quem certatim cuncti ſua munera diui
Congeſſere; nihil te vt maius cerneret orbis

Inter

Inter mortales: pedibus dant oscula reges
Sacra pij; tibi subijciunt sceptra, atque tiaras:
Abs te iura petant belli, pacisque fideles;
Teque colunt, & prostrati tua numina adorant.
Barbaricæ metuunt acies, sæuusque tyrannus
Threicius nomenque tuum, imperiumque, crucemque.
Auspicijs reditura tuis ad pristina sacra,
Ad cultum veterem vallata Britannia circum
Oceano, infidos mores, ritusque profanos
Exiuit, & studio gaudet Romana doceri
Pontificis iura, & leges, & dogmata magni.
Ipsa etiam delusa suis Germania, quondam
Fida, potensque diu prauis, fœdisque magistris
Expugnata tua insigni pietate, recentes
Abijcit errores læta, & tua iussa facessit.
Græcia quinetiam, doctorum mater, & altrix,
Diro pressa iugo Turcarum, squalida, & ægra
Ad sanctos proiecta pedes, miseranda fatetur
Te rerum dominum primum: supplexque, gemensque
Abs te implorat opem, sacramque efflagitat auram;
Teque cupit ritus tradente haurire Latinos.
Nec vero exusti Æthiopes, Garamantes, & Indi,
Seu qua sol Oriens terras despectat eoas,
Seu qua Tartessi Occiduus demergitur vndis,
Religione carent nostra; ignorantque salutis
Multiplices, certasque vias: diffusa per omnes,
Te duce perfertur gentes pietasque, fidesque.

Salue

Salue iterum Ætheriæ nauis diuinæ magister ,
Tiphy etiam maior , Minyas qui æterna recentes
Præmia adire doces , & merces ferre beatas
Quemq; suam in patriam : ad puppim, clauumq́; sedente
Gregorio , metuit nullas Argo acta procellas
Cælestiq; aura , nautáq; , & remige fido .
Aspice Sancte Pater , latentur vt omnia ; cuncta
Vndiq; vt exultent : sinuosa vt littora nomen
Gregorij ingeminent magni , scopuliq́; sonantes ;
Vtq; tibi Nereus , tranquillisq; æquora gaudens
Adria sternat aquis : Traiani vt læta , vetusti
Regis opus , moles , arx , & , tua maxima portus
Cura , vetustate exesus , limoq; repletus ,
Aspectu , aduentuq; tuo recreetur ; vt Ancon
Gestiat , & summa patrem , dominumq; fidelis
Lætitia excipiat ; viden , vt sua gaudia plausu
Testetur , flamma , crebroq; fragore colubri
Ignivomi populusq; hilaris , lectusq; senatus ?
Tu vero nostras pater , & mitissime pastor
Aspice res propius , labentes siste , iacentes
Erige ad egregias spes , optatamq; quietem .
Gregorij vt nomen scribatur fastibus , atq;
Perlætum hunc meliore diem signare lapillo
Fas sit , & incipiat secli melioris origo :
Et tibi promeritis aras memor erigat Ancon :
Muneraque æternum memorent tua summa nepotes :
Optemusque patri , dominoque secuuda benigno

Omnia: quęmque æquat Pylio prudentia regi,
Æquet longa dies; numeres vt tertia secla.

Ad Sixtum Quinctum Opt.Max.què Pont.

SALVE *incrementum superum, noua gloria cæli,*
Deliciæ humani generis, splendorque, deusque
Piceni, celso nobis demissus olympo,
Otia qui reuehis tandem mortalibus ægris:
Abs te relligio pectus percussa decorum,
Flauentes laniata comas, vestesque pudicas
Scissa, implorat opem, felicem flagitat auram.
Pulsa graui exilio, terris Astræa relictis,
Cum probitate fides, & fas cum iure, piumque,
Sustuleratque leues virtus ad sidera pennas.
Ipsa etiam, rerum pulcherrima, docta Minerua
Spreta diu, in siluis squalore obsessa latebat.
Sed simul atque ALTI *summo de vertice* MONTIS
Ad latias caulas, Romana ad ouilia Pastor
Accessit FELIX, *mille è pastoribus vnus*
Mænalij magno delectus numine Panis,
Ad nos relligio rediit, probitasque, fidesque,
Iusque, piumque simul: virtus, sapientia, musæ
Felici imperio gaudent, terrasque frequentant:
Lætantur stabili rediisseque fœdere secla
Aurea Saturni. SIXTO *Pæana canamus:*
Tollamusque hilares hymnis super astra beatum,

Orantes musas Graias, musasque latinas,
Picenos vates patrio amplectatur amore,
Nec sinat in tenebris inopes latitare poetas.

Ad Alexandrum Perettum à Monte Alto Cardinalem amplissimum.

O SVPERIS *dilecte puer, cui mollibus annis*
Ornat honoratas purpura sacra comas,
Altera spes latij gaudentis, & altera Romæ,
Altera Piceni gloria magna soli;
Vtere sorte tua, & rerum, quas tradit habenas
Juppiter, audenti suscipe rite manu.
Te colit aula, vocat regem, dominumque salutat;
Paret & imperio terra, fretumque tuo.
Quid puerum insignem miraris Roma? Perettis
Principibus virtus contigit ante diem,
Hunc tibi non Altus Mons, sed demisit olympus:
Et fouit blando docta Minerua sinu.
Multa tibi à magno sunt muner[illegible]adita SIXTO;
Sed tamen hoc nullum mu[illegible]aius habes.
Sis diuine puer felix; & num[illegible] SIXTI
Æques, Romanæ splendor, honosque togæ.

Ad Illustrissimum Michaelem Perettum.

Dum decus, atque oris formam Romana puella
Spectat, ait. Puero est huic Cytherea parens.

Dum Romanus eques puerili in corpore vires
Miratur, dicit. Mars pater est puero.
Sic te illa Æneam, sic te hic vocat ore Quirinum;
Nempe quod Æneas, atque Quirinus eris.
Ille pius fuit, & iustus, fortisque, Quirinus
Bella gerens, Vrbis conditor astra tenet.
Sic dux cœlestis iusta induet arma Michael,
Fortior in Turcas, & pia bella geret.
Contundet priscos hostes, Belgasque rebelles,
Cedet & armato terra, fretumque viro,
Cumque omnem victor sub leges miserit orbem,
Subdideritque pio barbara colla iugo,
Æquore pacato, pacatis vndique terris,
Tradetur meritis ara, polusque ducis.

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTAE POEMATVM.

LIBER QVINTVS.

In Neniam Ioannis Baptistæ Euangelistæ Antonij Sulfrinij Cesenatis Lusus.



AGITVS natæ queis tu cohibere parabas,
Forte mihi Stephanus carmina nocte tulit.
Illa ego, felici quòd erant dictata camæna,
Legi, oculis lustrans sæpius, atque animo.
Et mihi cum tandem clausisset lumina somnus,
Idem post visus talia verba dare.
Accipe, Franciscæ genitor dum carmina cantat,
Cur mox haud capiat mollia membra sopor.
Ne citus inuadam infantem mandauit Apollo,
Mercurius, Pallas, Pieridumque chorus.
Carmina Ioannis Baptistæ culta libenter
Auribus hæc capiunt numina magna suis.
Ille etiam versus dum cantat diuite vena,
Agnoscit cantus Delius ipse suos.
Facundi decus eloquij Cyllenia proles
Agnoscit, sophiam docta Minerua sacram.
Agnoscunt numeros, pulchrique poematis artem,
Quam tradunt musæ vatibus egregijs.
Cumque iuuet longum Baptistam audire canentem,

Ut

Vt vigilet cantus causa puella, iubent.
Sic virga interpres diuum me sæpius aufert
Franciscæ ex oculis, vt pater ipse canat.
Vtque Deum cantu renouentur gaudia, sæpe
In cunis fletus filia parua dabit.
At pater hos poterit semper compescere blandis
Versibus, & natæ consulet, atque sibi.
Nanque volunt diui, Baptistæ fessa quietem
Vt carpant tandem membra sopore leui.
Vt iuuenes, curuis genuit quos montibus Ancon,
Ad iuga Sarnassi ducere celsa queat.
Ingenuasque illis vt monstret Palladis artes,
Flumina Romani pandat & eloquij.
Et nitidos fontes Graiorum rite recludat,
Et res, quarum illi copia grandis inest.
Sic dixit somnus, tenuesque recessit in auras,
Liquit & in media me quoque nocte quies.
Tum mea diuersi tentarunt pectora motus;
Lætitiæ adiunctus nam fuit ipse dolor.
Insomnem dolui longas te ducere noctes,
Audire & natæ tædia mœsta tuæ:
Et dolui, quoniam vigilans carissima coniux
Ipsa pari tecum conditione foret.
Verum, quod cantusque tui, versusque valerent
Oblectare adeo numina, lætus eram.
Ne mirere igitur, crebro si vagiat infans,
Tuque diu frustra carmina multa canas.

Hinc

Hinc mihi tu felix, possis cùm sæpe canendo
Et retinere homines, & retinere Deos.

Nenia in Franciscam filiam vagientem in cunis.

NOx *erat, & tacito labentia sidera cælo*
Claudebant somno lumina fessa graui.
Vix tetigi lectum, cum lassos irrigat artus,
Occupat atque oculos dulcis, & alta quies.
Insomnis iuxta Peregrina puerpera coniux,
Et iacet in cunis orta puella recens.
Ecce meos rumpit somnos vagitus, & ipsa
Infanti mater carmina blanda canens.
Excitum vt sensit, cur altera causa laboris
Languet, ait, vigilans, altera stertit iners?
Nocte canens tota natæ lenire nequiui,
Dum tua, ploratum, lumina somnus habet.
Te præstare decet cantu, numerisque latinis,
Quod nequeo Etruscis, Italicisque metris.
Plus hanc forte sui delectat musa parentis:
Odit vulgares nostra puella modos.
Dormiet illa quidem: nuper nanque vbera suxit:
Incipe laurentes, Susoniosque sonos.
Nota patris, cœpi, spes summa, & summa voluptas,
Dulcius vxori qua nihil esse potest.
Cara patri, pergrata tuo, & iucunda parenti,
Quæ pulchram Venerem pulchrior ore refers.

Nata

Nata tuæ dulcis, cariſſima filia matri;
Filia totius gaudia magna domus.
Tu mihi prima patris pergrata vocabula tradis:
Primaque complexus, blandiciasque feres.
Prima tuis teneris nectes mea colla lacertis;
Incerta dictos voce datura iocos.
Quam iucunda tuo dabis oſcula nata parenti:
Et iucunda dabit quam pater ipſe tibi.
Sed natam, an matrem dicam? Franciſca vocata,
Cuius grata refers nomina, mater erat.
Nomen idem eſt: melior ſed te fortuna ſequatur:
Sit virtus eadem cum pietate pari.
Te Franciſca vocans, matrem, natamque vocabo:
Vnaque eris bino nomine grata mihi.
Gratus item glacie canus, gelidusque December:
Natalem natæ quòd tulit ille meæ.
Qua pueri inſontes, recutitaque turba perempta eſt,
Illa mihi eſt ſemper grata futura dies.
Illa meam excepit naſcentem prima puellam:
Nobis illa patris nomina cara dedit.
Iura Pius terris reddebat, & illius annus
Quinctus erat; Quinctus ſed Pius ille fuit.
Quòd cœlum intonuit, tremuit terra, ætheris altas
Iuppiter aeria miſit ab arce niues
Illis, nata quibus noſtra eſt Franciſca, diebus,
Venturi ſunt hæc omina certa boni.
Annuat, atque velit magni moderator olympi

Eſſe

Esse ea fortunæ signa secunda tuæ.
Sitque animus sorte insigne perdignus; & omnes
Contineat dotes, femineumque decus.
Sit claras artes facilis perdocta Mineruæ,
Semper in officijs ingeniosa manus.
Lingua grauis, verax, & custodita fideli
Pectore, cœlestis concinat acta patris.
Sit corpus castum; sit mens, animusque pudicus;
Parque sit eximiæ forma pudicitiæ.
Forma æquet Venerem, superet permagna Lacænam:
Sitque pudicitiæ gloria prima tuæ.
Rapta viris est pulchra soror Pollucis; at ipsa
Vna homines rapias pulchrior, atque Deos.
Casta fuit, quæ prima grauem Lucretia regem
Expulit, estque scelus fortiter vlta manu.
Casta etiam, tela quæ mille illusit amantes,
Vxor Dulichij Penelopea viri.
Castior existas, & vtraque beatior ipsa:
Inueniat tales non tua forma procos.
Ingenioque tuo cedat Oritonia virgo:
Te sibi vel natam Iuppiter ipse velit.
Aut etiam, pulsa cupiat Iunone fidelis
Iungere connubio se Deus ipse tuo.
Nulla torum pellex diuinum turbet; & istud
Nunquam molle tuum deserat ille latus.
Tunc dabis alta pijs mensis accumbere diuum;
Atque propinabis pocula læta tuis.

Percipiat pater, & genitrix solatia cœli,
Ille Deus factus, facta sed illa dea.
Illa suas neptes, complexus at ille nepotes,
Omnes stelliferi numina magna poli.
Ah plorat Francisca, precor quòd talia, damnans,
Esseq; significans irrita vota patris.
Ne plora, aut vagi formosa puella parentis:
Contenta humano es femina coniugio.
Est patre grandæuo mea iam sapientior infans:
Optabit votis ille minora suis.
Offendi stulta (miserum me) voce puellam:
Posco minora: tuas comprime lachrimulas.
Hanc cupiat regina nurum: rex tradere nato
Gaudeat vxorem, muneribusque vocet.
Regius ipse puer tenero calefactus amore,
Hanc petat; & tanta coniuge lætus eat.
Aula vocet dominam, dominam matresque, viriq;:
Flauentesque premat fulua corona comas.
Sublimi solio, sceptroque insignis eburno
Imperet, & populis det pia iura suis.
Baccatum, & duplex gemmis, auroque monile
Demissum collo pectora casta petat.
Astringat molles opulenta armilla lacertos:
Exornetque aures barbara gemma graues.
Formosos digitos aurum, viridisque smaragdus
Ambiat, atque adamas ornet vtramque manum.
Palla rigen auro, signis distincta, colore

Cetera

Cetera puniceo candida membra tegat.
Incedas magna iuuenum stipante caterua;
Qualis erat Dido regia templa petens.
Mirenturque tuam formam iuuenesque, senesque:
Et dicant. Hæc est coniuge digna Ioue.
Si cantas, cantu placeas; si pectine pulsas
Docta chelym, tecum sit quoque grata chelys.
Sis stans, sis gradiens cunctis optata puellis;
Sisque loquens cunctis grata puella viris.
Omnis Franciscam certatim diligat ætas;
Et sibi Franciscum Sexus vterque velit.
Sit rosa, sint violæ sint candida lilia quicquid
Calcabis pedibus pulchra puella tuis.
Corda oculis rapias: iaculentur lumina flammas:
Igne tuo, vt mollis cera, liquescat amans.
Inflammes omnes; nullo inflammeris amore:
Non nisi legitimo sollicitere toro.
Nequa tuam capiat, mea nata, insania mentem;
Vt cupias formam tam vitiare bonam.
Neu te candoris medicamina, siue ruboris
Delectent: pulchras inficiantque genas.
Cerussa tingat malas, sanieque draconis,
Quæ pallet, quæque est fusca colore suo.
Qualis erat Sappho; Siculo tamen illa Phaoni
Grata fuit: placuit Lebia musa viro.
Non fuco illeuit vates nigra ora: camœnæ
Pensarunt formæ damna minora lyra.

Non illam facies, sed conciliauit amico
Barbitos, ingenium, blandiloquique modi.
Illam Pegasides, illam dilexit Apollo:
Pro forma carmen, proque colore fuit.
Tu vero ad speciem tantam si adiunxeris artes
Egregias, animi Pieriumque decus;
Corpore vulgares pulchro captabis amantes;
Captabis doctos mentis amore viros.
Sic cunctos capies: sic tota videbere pulchra;
Sicque vel Atridæ coniuge maior eris.
Ore fuit formosa Helena; atque ex parte placebat;
Si, quæ non casta est, forma placere potest.
Ac, licet illa foret præstanti corpore: malas
Infecisse tamen dicitur ipsa suas.
Hac ductus causa Ægides repetentibus illam
Peddidit inuisam fratribus indeuolens.
Lacte asinæ diri coniux impura Neronis
Lauit cum turpi pectus, & ora manu.
Non ego si oblatum regnum, imperiumque fuisset;
Possem tam fœdis oscula ferre genis.
Adsit mundicies tamen, ingenuaque puella
Cultus, virgineus, dignus & ore nitor.
Illinat os meretrix, & adultera, quæque pudica
Mente parum, multos gaudet habere procos.
Ast vni placitura viro, contenta figura.
Ipsa sua, modica se colat arte sciens.
Cui formam natura dedit, non indiget illa

Pigmentis,

Pigmentis, faciem quæ vitiare solent.
At, cui præstantis vultus est forma negata,
Formam animi eximys sarciat illa bonis.
Sunt bona femineæ mentis probitasque, fidesque,
Et pudor, & castus cultus, amorque viri.
Jlla satis compta est, satis est ornata, pudicè
Seruat coniugij quæ rata iura sacri.
Nigro erat Andromede Cepheia corpore, Perseum
Fusca tamen cultu cœpit, amore, fide.
Ac, quanquam raro, quæ pulchra, pudica puella est;
Tu tamen in raris fac numerere velis.
Plus, quàm forma, pudor placet, & delectat amantem:
Non tam pulchra viros, quam pudibunda capit.
Fida virum coniux obserua, & dilige amore,
Quo laertiades coniuge cultus erat.
In primis venerare Deos; venerare puellam,
Quæ salua peperit virginitate Deum.
Coelicolas timeas, & ames; vltricia credas
Numina, quæ videant fasque nefasque polo.
Illa nihil fallit: cernunt nanque abdita: norunt,
Quicquid & erroris mens taciturna tegit.
Ergo caue, nequid pecces spe ducta latendi,
Longa dies aperit, quæ latuere diu.
Quod si etiam fallas astuta virosque, nurusque;
Fallere non poteris te tamen, atque Deos.
Acrius vltores occulta piacula manes
In cæca plectunt, tartareaque domo.

Ad noſtros infans oculos conuertit ocellos;
Talia neu de ſe ſuſpicer, atque monet.
Aut monet, aut oculis, & fronte monere videtur,
De ſe pollicear cuncta pudica viro.
Hac illi in primis poteris ratione placere:
Hac ſocrum poteris conciliare via.
Jlla tibi nunquam pugnet; nunquamve moleſta,
Jnter diſſidium teque virumque velit.
Diligat, vt mater natam; faueatque benigna;
Parcat anus iuueni; teque perita regat.
Tu vero, vt carum videaris amare maritum,
Ut matrem, ſocrum fac venerere tuam.
Illius imperio pare perlæta libenter;
Quæque ſciens ſuadet, conſule cuncta boni.
Eſt (non ignoro) querula, & moroſa ſenectus:
Te tamen ætatis crimina ferre decet.
Obſequio placabis anum; ſoceroque, viroque
Pergratam ſocrus reddere culta poteſt.
Quòd ſi iurgantem vetulæ te ſentiet vllus,
In quiet. Hæc non eſt officioſa nurus.
Non amat, aut redamat coniux adamata maritum:
Callida ſed fallens fingit amare virum.
Illum quæ ſimplex, & candida diligit vxor,
Socrum eadem, & ſocerum diligit illa ſuum.
Hæc de te nequis iactet, pudibunda caueto:
Turpe tibi hoc vulgi eſt, iudiciumque viro.
Nanque veneficijs mentem eripuiſſe marito

I.h. *Dicet,*

Dicet, corruptum carminibusque tuis.
Medeam, aut Circen credent, quæ carmine possis
Soluere mœrentis matris amore virum.
Primum igitur blando captabis amore maritum;
Inde tibi est socrus arte parandus amor.
Quæ fugias, caueasque volent; fugito, atque caueto:
Quæ facias, facito læta, volensque cito:
Artibus his demissa Hecubæ Priamoque, viroque
Andromache placuit, regia nata licet.
Neudos magna animos faciat, clarique parentes,
Formaque, fortunæ munera rara bonæ
Fac socer, & socrus laudent: loquere ipsa pudenter
De te, de faecie, moribus atque tuis.
Ipsa tibi precor imperium concedat, & omnis
Iura domus socrus sponte, quietis amans.
Obseruet socer ipse senex; colat ipse maritus:
Et videat natos lætus vterque tuos.
Sint tibi longævæ felicia tempora vitæ:
Mollia nulla grauis pectora cura premat.
Cumque anus innumeros felix impleueris annos;
Ponas rugosa lumina nostra manu.
Sis mihi (nanque decet) matrique superstes, & atra
Concelebres fletu funera nostra tuo.
Cumque tua abrumpent crudeles stamina parcæ,
Sit mors non tristis, sit tibi terra leuis.
Ad cælum veniens, lætorum ante ora parentum,
Accipias vitæ præmia digna piæ.

Risit

Risit nata; placent genitoris vota, puella
Attenta nostras audijt aure preces.
Cunarum terror, procul hinc, mala larua facesse:
Signata est Domini nam mea nata cruce.
Signata est manibus matris, manibusque parentis
Nata sui: vanas non pauet illa minas.
Quid ringis? dentes mala larua quid exeris ore?
Quid torques nares improba larua tuas?
Quid limis spectas oculis? quid cornua præfers?
Non tibi fas natam tangere furua meam.
I procul hinc Acheronte sata; ad Stygiasque tenebras
Effuge cum magicis artibus atra tuis.
Munitur bulla ingenua mea nata: tuetur.
Cum sancta cunas virgine matre; Deus
Cerbereo terre rictu, quæ vagit, & ora
Corrumpit lachrimis parua puella suis;
Et, quæ vagitu haud patitur dormire parentes,
Nocte omni vigilans, exsaturata licet.
Non vagit Francisca: patri blanditur; amorem
Et, qua voce potest, significare cupit.
Larua truci aspectu querulas terreto puellas:
Non queritur, ludit sed mea nata patri.
Quid tibi vis? patulo dic, quid strix gutture poscis?
Quis tam grande caput, caniciemque dedit?
Quis curuos vngues? quis commoda rostra rapinæ?
Quis stantes oculos, falciferosque pedes?
Ni fugis hinc mala strix, cunis inuisa, puellis
Noxia,

Noxia, comminuam teque, caputque tuum.
Quamuis conuertas scelerata in mille figuras.
Os auidum, illudas luminibusque meis.
Et nunc sel nigrans fias, nunc vasta leæna;
Aut Cyrnea canis: nunc videare lupus;
Non tamen his formis natæque, patrique timorem
Inijcies; procul hinc nil nocitura fuge.
Circunstant diui pueri, diuæque puellæ
Has cunas, summo numina missa Ioue.
Est vetula hæc, passu quæ te comitatur euntem
Tam tremulo, infantes sugere sueta malas?
Artibus Æmonijs instructa venefica certe est,
Longinquam cupiens exsatiare sitim.
Dextra gerit laqueum, Cacus fur vnde pependit,
Cæsorum bustis ossaque lecta nouis.
In læua plena est humano abdomine pyxis,
Recte interfectæ cæsariesque nurus.
Fascinat hæc teneras anus importuna puellas:
Fascinat hæc pueros lumine tristis anus.
I, pete vipereum deuota cubile Megaræ,
Nutrix Persephones, Tisiphonesque soror.
Est mea iam dudum fluuio lustrata salubri
Filia; nil possunt carmina obesse mala.
Vnda salutaris maculas detersit auitas:
Redditus est natæ pristinus inde nitor.
Pura tuas temnit male sana venefica nugas,
Barbaricum murmur, carnificesque manus.

Signo ego te rursus Domini cruce nata, fugentur
Hoc omnis signo flagitiosa manus.
Nocturnos sacris tinnitus audyt æris,
Fugit & ex oculis turba nefanda meis.
Tam bona pars abyt noctis: iam claudere somno
Languentes oculos, lumina fessa decet.
Somne veni, propera; non intellectus ocellos
Ingredere; ingressus comprime somne leuis.
Furtim somne veni; venias cum fratre sopore:
Vosque soror dulcis sit comitata quies.
Insidiosa veni; blandissima turba venito:
Somne veni primus, post sopor, inde quies.
Non adeas sopor alte; veni tu primus; & agmen
Claudere ne placidum sit tibi somne graue.
Aut potius mediam fratres stipate sororem:
Germanos vna nempe venire decet.
Somnule somne veni, mollissime somne venito:
Nictantes oculos claudere somne potes.
Ipse etiam sopor arcte veni; sopor arcte venito:
Franciscaque tuis insidiare dolis.
Tu quoque blanda veni somni, & germana soporis,
Blanda veni, venias, blanda venito quies.
Tandem, oculis clausis, dormit Francisca: quieta
Venit carminibus turba vocata meis.

Ad amorem.

AD *veteres igitur plagas, flammasque vetustas*
Sæue

Sæue Amor adijcies tela, facesque nouas?
Vrebat Phyllis, Cassandra vrebat amantem;
Lucia nunc miserum tertius vrit amor.
Saucia cædebat Cassandra, & pectora Phyllis:
Impia nunc cædit Lucia corda recens.
Luminibus Phyllis cæpit, Cassandra capillis:
Lucia formoso pulchrior ore capit.
Non nouus antiquos potis est detrudere amores:
Non tollit priscas, sed noua flamma facit.
Hanc cupio; opto illas; pariter cruciantque, necantque;
Delectant pariter, propariterque placent.
Vulnere sic triplici, triplici sic igne petitus,
Vnus ero infelix apta rapina trium.

Ad eundem.

DVM *me vnum crudelis Amor petis; omnia in vnum*
Spicula contorques, & fera tela iacis:
Quæ grauis ante fuit, pharetra est exhausta sagittis;
Contentusque diu redditus arcus iners.
Queis posthac feries armis? inuicta, potensque
Dextera, ni cesses, nuda, & inermis erit.
Vincere scis: victis sed victor parcere nescis:
Sæuitia inuicti gesta minora facit.
Sit vicisse satis, victumque ligasse catenis:
Factus mancipij sum meser ecce tui.

Quid crucias, perdisque tuos puer improbe seruos?
Deuotosque tuos quid malesane necas?
Non ne pudet metuenda Ioui maculare cruore
Seruili dominum tela superba Deum?
Tolle tuos: solus vacua regnabis in aula:
Tolle tuos; nullo suspicieris Amor.
Es puer; innumeros læsisti hominesque, deosque:
Indiget auxilio, consilioque puer.
Fortis es; at fortes, & magni vtuntur, egentque
Mancipijs reges, militibusque duces.
Parce tuis seruis; leuibus quoque parce sagittis.
Ne desint valido miles, & arma Deo.
Cæde repugnantes; hostiles sterne cateruas;
Atque male acceptas ignibus vre tuis.
At mihi, cui notæ vires, clementia tandem
Fac, precor, vt misero sit quoque nota tua.

Ad Luciam, vt tegat papillas.

DIXI *Lucia sæpe, conde, conde,*
Conde Lucia candidas papillas,
Et pectus tege flammeo decorum.
Nam ludens Veneris puer sub illis
Grassatur malus, improbusque mammis.
Inde tundimur aureis sagittis:
Inde nos peredunt faces amoris,
Per mammas niueas tuas Cupido

Regnat:

Regnat: per niueas Venus papillas
Dat leges superis, Jouique magno.
Hinc vires Deus hic, & illa Diua
Hauriunt, quibus imperent olympo,
Et cogant homines amare terris.
Pectus contege quæso, linteoque
Vela Lucia: nanque pectus istud
Est ingens globus æstuantis ignis:
Istæ candidulæ tuæ papillæ
Sunt incendia sæua, non papillæ.

Ad Melenam puellam.

QVOD *nigris oculis, nigris capillis,*
Et nigra es facie, nigrisque mammis,
Nigro pectore, nigricante collo,
Nigris inguinibus, genu, manuque,
Sit licet niueo colore mater,
Albis luminibus, comaque flaua,
Sic, ut canicies queat videri,
Ore candidulo, papillulisque,
Albo pectore, lacteoque collo,
Albis inguinibus, genu, manuque,
Tam certe mihi displices amanti,
Quam vacinia displicent, piperque,
Et quam displicuit puella Cephei
Nigrans Andromede marito Achiuo.

In fraudulentam virginem.

QVIS credat niueo pectore virginis
Forma conspicuæ, quæ poterat Iouem
Flammis insolitis vrere maximum,
In cycnum, pluuiam vertereque auream,
Et taurum, aut aquilam luminibus suis,
Atque oris specie cogere sumere,
Fraudis, insidias, atque dolos tegi?
Cur non in niueo, & pectore candido
Est mens, est animus candidus, integer,
Simplex, veridicus, fingere nescius,
Ignarus sceleris? cur latet improbus
Anguis sub viridi gramine? cur rosa
Adiuncta est redolens proxima sentibus?
Cur non herba ferens candida lilia
Latè cuncta bonis complet odoribus?
Cur tristes latices pyxidę diuite
Conduntur? vitijs vndique cingitur
Virtus cur geminis vnica nobilis?
Sic coniuncta bonis proxima sunt mala;
Sic lætis lachrimæ, tristia dulcibus,
Sic luci tenebræ, prælia Martia
Sic paci, vt nequeas altera ab alteris
Certis limitibus scripta reuellere.
Sunt inter superos cuncta Deos bona:
Sunt inter Stygios cuncta Deos mala:

Inter sunt homines mista sed vtraque:
Mittuntur placidis cœlicolis bona:
Mittit Persephones inuida regia,
In terris homines, quæ patimur, mala.

De viribus carminum ad Luciam.

QVIS *tradet mihi pocula*
Vndis Castalijs, rore poetico,
Et spumantia flumine,
Quo vates grauiter pectora conciti
Cantant tela Cupidinis,
Aut tristes acies, & fera prælia;
Vt possim nemora auia
Inclamare meam cogere Luciam,
Stratus sub viridi arbuto,
Et mulcere feram carmine virginem,
Vrentem mea pectora.
Vates Threicius squalida tartara,
Flecti nescia, carmine
Mouit: carmine filia
Solis Dulichios vertere milites
In sæuas potuit feras:
Est Solchis liquidum vecta per aerem:
Possunt omnia carmina,
Iratoque Ioui tollere fulmina.

De pulchro puero à Cupidine saxo vulnerato.

ALMAE *dum Veneris filius aliger,*
Instructus pharetra sæuior aurea,
Et telis validis, & face torrida,
Diuos, atque homines cædit arundine,
Incendens rapidis ignibus omnia,
Anconæ puerum vidit amabilem,
Stringentem leuium pectora virginum.
Illum incautus adit dum propius Deus,
E dextra arma potens sæua puer rapit:
Tunc iratus amor, spicula mittere
Formosum quoniam non valet in caput,
Immittit lapidem cominus alitem.
Risit tum genitrix blanda Cupidinis,
Et dixit. Puero parce puer meo:
Cede arcum, atque faces: cede volatile
Ferrum cum pharetra: pectora amantium.
Hic tundet grauius saucia arundine.
Tu armatum fugias ocyus, & caue,
Ne, dum tela doles perdita, sentias,
Quæ nos (heu) gerimus pectore vulnera.

In natalem Ioannis fratris filij.

GESTIANT *læti Venus, & Cupido:*
Concinant blandum faciles camœnæ:

Pectine aurato citharam decorus
Pulset Apollo.

PALLIDA *spargant violas puellæ:*
Mollibus pratis roseos aceruos
Fundat è plenis calathis, & alba
Lilia virgo.

FLORIBVS *lectis Dryades coronas*
Implicent: plaudant choreas Napææ:
Et recens ornent Satyri Salaces
Tempora sertis.

CVNCTA *lætentur: polus, vnda, & æther,*
Terra concordes modulentur: axe
Secla voluantur meliora; & omnis
Gaudeat orbis.

VAGIT *in cunis puer ecce fratris:*
Sit tuus Cynthi, precor ille alumnus:
In sinu crescat docilis Mineruæ.
Vertice Pindi.

Ad ciuitatem Anconam.

DIVORVM *domus alta, nobilisque,*
Ancon, gloria prisca Doricorum,

Ad nostros infans oculos conuertit ocellos;
Talia neu de se suspicer, atque monet.
Aut monet, aut oculis, & fronte monere videtur,
De se pollicear cuncta pudica viro.
Hac illi in primis poteris ratione placere:
Hac socrum poteris conciliare via.
Illa tibi nunquam pugnet; nunquamve molesta,
Inter dissidium teque virumque velit.
Diligat, vt mater natam; faueatque benigna;
Parcat anus iuueni; teque perita regat.
Tu vero, vt carum videaris amare maritum,
Ut matrem, socrum fac venerere tuam.
Illius imperio pare perlæta libenter;
Quæque sciens suadet, consule cuncta boni.
Est (non ignoro) querula, & morosa senectus:
Te tamen ætatis crimina ferre decet.
Obsequio placabis anum; soceroque, viroque
Pergratam socrus reddere culta potest.
Quòd si iurgantem vetulæ te sentiet vllus,
Inquiet. Hæc non est officiosa nurus.
Non amat, aut redamat coniux adamata maritum:
Callida sed fallens fingit amare virum.
Illum quæ simplex, & candida diligit vxor,
Socrum eadem, & socerum diligit illa suum.
Hæc de te nequis iactet, pudibunda caueto:
Turpe tibi hoc vulgi est, iudiciumque viro.
Nanque veneficijs mentem eripuisse marito

Dicet,

Dicet, corruptum carminibusque tuis.
Medeam, aut Circen credent, quæ carmine possis
Soluere mœrentis matris amore virum.
Primum igitur blando captabis amore maritum;
Inde tibi est socrus arte parandus amor.
Quæ fugias, caueasque volent; fugito, atque caueto:
Quæ facias, facito læta, volensque cito:
Artibus his demissa Hecubæ Priamoque, viroque
Andromache placuit, regia nata licet.
Neudos magna animos faciat, clarique parentes,
Formaque, fortunæ munera rara bonæ
Fac socer, & socrus laudent: loquere ipsa pudenter
De te, de faecie, moribus atque tuis.
Ipsa tibi precor imperium concedat, & omnis
Iura domus socrus sponte, quietis amans.
Obseruet socer ipse senex; colat ipse maritus:
Et videat natos lætus vterque tuos.
Sint tibi longævæ felicia tempora vitæ:
Mollia nulla grauis pectora cura premat.
Cumque anus innumeros felix impleueris annos;
Ponas rugosa lumina nostra manu.
Sis mihi (nanque decet) matrique superstes, & atra
Concelebres fletu funera nostra tuo.
Cumque tua abrumpent crudeles stamina parcæ,
Sit mors non tristis, sit tibi terra leuis.
Ad cælum veniens, lætorum ante ora parentum,
Accipias vitæ præmia digna piæ.

Risit

Risit nata; placent genitoris vota, puella
Attenta nostras audijt aure preces.
Cunarum terror, procul hinc, mala larua facesse:
Signata est Domini nam mea nata cruce.
Signata est manibus matris, manibusque parentis
Nata sui: vanas non pauet illa minas.
Quid ringis? dentes mala larua quid exeris ore?
Quid torques nares improba larua tuas?
Quid limis spectas oculis? quid cornua praefers?
Non tibi fas natam tangere furua meam.
I procul hinc Acheronte sata; ad Stygiasque tenebras
Effuge cum magicis artibus atra tuis.
Munitur bulla ingenua mea nata: tuetur.
Cum sancta cunas virgine matre; Deus
Cerbereo terre rictu, quae vagit, & ora
Corrumpit lachrimis parua puella suis;
Et, quae vagitu haud patitur dormire parentes,
Nocte omni vigilans, exsaturata licet.
Non vagit Francisca: patri blanditur; amorem
Et, qua voce potest, significare cupit.
Larua truci aspectu querulas terreto puellas:
Non queritur, ludit sed mea nata patri.
Quid tibi vis? patulo dic, quid strix gutture poscis?
Quis tam grande caput, caniciemque dedit?
Quis curuos vngues? quis commoda rostra rapinae?
Quis stantes oculos, falciferosque pedes?
Ni fugis hinc mala strix, cunis inuisa, puellis
Noxia,

Noxia, comminuam teque, caputque tuum.
Quamuis conuertas scelerata in mille figuras.
Os auidum, illudas luminibusque meis.
Et nunc fel nigrans fias, nunc vasta leæna;
Aut Cyrnea canis: nunc videare lupus;
Non tamen his formis natæque, patrique timorem
Injicies; procul hinc nil nocitura fuge.
Circunstant diui pueri, diuæque puellæ
Has cunas, summo numina missa Ioue.
Est vetula hæc, passu quæ te comitatur euntem
Tam tremulo, infantes sugere sueta malas?
Artibus Æmonijs instructa venefica certe est,
Longinquam cupiens exsatiare sitim.
Dextra gerit laqueum, Cacus fur vnde pependit,
Cæsorum bustis ossaque lecta nouis.
In læua plena est humano abdomine pyxis,
Recte interfectæ cæsariesque nurus.
Fascinat hæc teneras anus importuna puellas:
Fascinat hæc pueros lumine tristis anus.
I, pete vipereum deuota cubile Megaræ,
Nutrix Persephones, Tisiphonesque soror.
Est mea iam dudum fluuio lustrata salubri
Filia; nil possunt carmina obesse mala.
Vnda salutaris maculas detersit auitas:
Redditus est natæ pristinus inde nitor.
Pura tuas temnit male sana venefica nugas,
Barbaricum murmur, carnificesque manus.

Signo ego te rursus Domini cruce nata, fugentur
Hoc omnis signo flagitiosa manus.
Nocturnos sacris tinnitus audijt æris,
Fugit & ex oculis turba nefanda meis.
Tam bona pars abijt noctis: iam claudere somno
Languentes oculos, lumina fessa decet.
Somne veni, propera; non intellectus ocellos
Ingredere; ingressus comprime somne leuis.
Furtim somne veni; venias cum fratre sopore:
Vosque soror dulcis sit comitata quies.
Insidiosa veni; blandissima turba venito:
Somne veni primus, post sopor, inde quies.
Non adeas sopor alte; veni tu primus; & agmen
Claudere ne placidum sit tibi somne graue.
Aut potius mediam fratres stipate sororem:
Germanos vna nempe venire decet.
Somnule somne veni, mollissime somne venito:
Nictantes oculos claudere somne potes.
Ipse etiam sopor arcte veni; sopor arcte venito:
Franciscaque tuis insidiare dolis.
Tu quoque blanda veni somni, & germana soporis,
Blanda veni, venias, blanda venito quies.
Tandem, oculis clausis, dormit Francisca: quieta
Venit carminibus turba vocata meis.

Ad amorem.

AD *veteres igitur plagas, flammasque vetustas*
Sæue

Sæue Amor adijcies tela, faceſque nouas?
Vrebat Phyllis, Caſſandra vrebat amantem;
Lucia nunc miſerum tertius vrit amor.
Saucia cædebat Caſſandra, & pectora Phyllis:
Impia nunc cædit Lucia corda recens.
Luminibus Phyllis cæpit, Caſſandra capillis:
Lucia formoſo pulchrior ore capit.
Non nouus antiquos potis eſt detrudere amores:
Non tollit priſcas, ſed noua flamma facit.
Hanc cupio; opto illas; pariter cruciantque, necantque;
Delectant pariter, propariterque placent.
Vulnere ſic triplici, triplici ſic igne petitus,
Vnus ero infelix apta rapina trium.

Ad eundem.

DVM *me vnum crudelis Amor petis; omnia in vnum*
Spicula contorques, & fera tela iacis:
Quæ grauis ante fuit, pharetra eſt exhauſta ſagittis;
Contentuſque diu redditus arcus iners.
Queis poſthac feries armis? inuicta, potenſque
Dextera, ni ceſſes, nuda, & inermis erit.
Vincere ſcis: victis ſed victor parcere neſcis:
Sæuitia inuicti geſta minora facit.
Sit viciſſe ſatis, victumque ligaſſe catenis:
Factus mancipij ſum meſer ecce tui.

Quid crucias, perdisque tuos puer improbe seruos?
Deuotosque tuos quid malesane necas?
Non ne pudet metuenda Ioui maculare cruore
Seruili dominum tela superba Deum?
Tolle tuos: solus vacua regnabis in aula:
Tolle tuos; nullo suspicieris Amor.
Es puer; innumeros læsisti hominesque, deosque:
Indiget auxilio, consilioque puer.
Fortis es; at fortes, & magni vtuntur, egentque
Mancipijs reges, militibusque duces.
Parce tuis seruis; leuibus quoque parce sagittis.
Ne desint valido miles, & arma Deo.
Cæde repugnantes; hostiles sterne cateruas;
Atque male acceptas ignibus vre tuis.
At mihi, cui notæ vires, clementia tandem
Fac, precor, vt misero sit quoque nota tua.

Ad Luciam, vt tegat papillas.

DIXI *Lucia sæpe, conde, conde,*
Conde Lucia candidas papillas,
Et pectus tege flammeo decorum.
Nam ludens Veneris puer sub illis
Grassatur malus, improbusque mammis.
Inde tundimur aureis sagittis:
Inde nos peredunt faces amoris,
Per mammas niueas tuas Cupido

Regnat:

Regnat: per niueas Venus papillas
Dat leges superis, Jouique magno.
Hinc vires Deus hic, & illa Diua
Hauriunt, quibus imperent olympo,
Et cogant homines amare terris.
Pectus contege quæso, linteoque
Vela Lucia: nanque pectus istud
Est ingens globus æstuantis ignis:
Istæ candidulæ tuæ papillæ
Sunt incendia sæua, non papillæ.

Ad Melenam puellam.

QVOD *nigris oculis, nigris capillis,*
Et nigra es facie, nigrisque mammis,
Nigro pectore, nigricante collo,
Nigris inguinibus, genu, manuque,
Sit licet niueo colore mater,
Albis luminibus, comaque flaua,
Sic, ut canicies queat videri,
Ore candidulo, papillulisque,
Albo pectore, lacteoque collo,
Albis inguinibus, genu, manuque,
Tam certe mihi displices amanti,
Quam vacinia displicent, piperque,
Et quam displicuit puella Cephei
Nigrans Andromede marito Achiuo.

In

Inter sunt homines mista sed vtraque:
Mittuntur placidis cælicolis bona:
Mittit Persephones inuida regia,
In terris homines, quæ patimur, mala.

De viribus carminum ad Luciam.

QVIS tradet mihi pocula
Vndis Castalijs, rore poetico,
Et spumantia flumine,
Quo vates grauiter pectora conciti
Cantant tela Cupidinis,
Aut tristes acies, & fera prælia;
Vt possim nemora auia
Inclamare meam cogere Luciam,
Stratus sub viridi arbuto,
Et mulcere feram carmine virginem,
Vrentem mea pectora.
Vates Threicius squalida tartara,
Flecti nescia, carmine
Mouit: carmine filia
Solis Dulichios vertere milites
In sæuas potuit feras:
Est Solchis liquidum vecta per aerem:
Possunt omnia carmina,
Iratoque Ioui tollere fulmina.

De pulchro puero à Cupidine saxo vulnerato.

ALMAE dum Veneris filius aliger,
Instructus pharetra sæuior aurea,
Et telis validis, & face torrida,
Diuos, atque homines cædit arundine,
Incendens rapidis ignibus omnia,
Anconæ puerum vidit amabilem,
Stringentem leuium pectora virginum.
Illum incautus adit dum propius Deus,
E dextra arma potens sæua puer rapit:
Tunc iratus amor, spicula mittere
Formosum quoniam non valet in caput,
Immittit lapidem cominus alitem.
Risit tum genitrix blanda Cupidinis,
Et dixit. Puero parce puer meo:
Cede arcum, atque faces: cede volatile
Ferrum cum pharetra: pectora amantium.
Hic tundet grauius saucia arundine.
Tu armatum fugias ocyus, & caue,
Ne, dum tela doles perdita, sentias,
Quæ nos (heu) gerimus pectore vulnera.

In natalem Ioannis fratris filij.

GESTIANT læti Venus, & Cupido:
Concinant blandum faciles camœnæ:

Pectione

Pectine aurato citharam decorus
Pulset Apollo.

PALLIDA *spargant violas puellæ:*
Mollibus pratis roseos aceruos
Fundat è plenis calathis, & alba
Lilia virgo.

FLORIBVS *lectis Dryades coronas*
Implicent: plaudant choreas Napææ:
Et recens ornent Satyri Salaces
Tempora sertis.

CVNCTA *lætentur: polus, vnda, & æther,*
Terra concordes modulentur: axe
Secla voluantur meliora; & omnis
Gaudeat orbis.

VAGIT *in cunis puer ecce fratris:*
Sit tuus Cynthi, precor ille alumnus:
In sinu crescat docilis Mineruæ.
Vertice Pindi.

Ad ciuitatem Anconam.

DIVORVM *domus alta, nobilisque,*
Ancon, gloria prisca Doricorum,

Quam musæ Veneres, Cupidinesque
Commendant; celebrant, colunt frequentes.
Quam non Parthenope beata spreuit,
Quem non regia Roma tempsit vnquam,
Ne me dispice nescia, aut superba.
Sed, quem Romulei patres amarunt,
Quem magni coluere Regulique,
Delectumque nepotibus dedere
Doctorem triplicis suis camœnæ,
Hunc tu blanda tibi putato amandum.

Ad Ioannem Antonium Gratianum iurisconsultum Anconitanum.

MELLITAS *tibi mittimus figuras,*
Consultissime Gratiane, & hasce
Implumes volucres, auesque glabras,
Dulces, sed tamen inscias canendi;
Quas pulchræ artifices manus puellæ
Fecere; & quoniam deesse vocis
Sensit blandicias, quibus placerent,
Pensauit modulos liquore Hymetti.
Desunt, ne fugiant, pedes; & ala
Non est tradita, ne auolare possint;
Quæ sunt pennigeræ, canant, & aures
Oblectent modulatione dulci:
Hæ tantum sapiant aues palato.

Ad Maximianum Sabellum.

QVID te Maximiane dulciores
Cogit Romuleas relinquere arces,
Et domo, patriaque abire Roma,
Cum cana, & gelida riget pruina,
Montana niues spargiturque tellus,
Soractis caput albicatque celsi?
An nescis pluuias hiems, & imbres
Quantos horrida sæpius minetur?
Non cernis vagus impetu per vrbem
Quo currat mediam, quibusve Tybris
Turgescens rapidus feratur vndis?
Non murmur boreæ furentis audis?
Non frigus penetrabilis procellæ
Terret? non humeros, latus, capillos
Horrescis glacie diu rigentis
Apennini etiam viris timendi?
Si discrimina tanta te mouere
Non possunt, valeant sodalis, atque
Fratrum perpetuæ preces tuorum
Te te flectere: seruulis, amicis
Detur hoc, precor, expetentibusque.
Ætas est tua maximè tenella:
Apta nec studijs adhuc seueris:
Quo tuæ ruis immemor salutis?
Quo discedis ab Vrbe, qua vel ipsæ

Non felicius edocent Athenæ?
Huc huc vndique confluit iuuentus
Discendi cupida; orbe non in omni
Extat copia tanta doctiorum.
Hæc te Vrbs tollet ad astra; te beatum
Reddet; innumeris honoribusque.
Felicem decorabit; atque (vt ipsa
Monstrant sidera) conteget galero
Crines purpureo venustiores:
Sic maioris auunculi, & minoris
Virtutem, validas opes, honores
In te cernere erit: Sit ergo Roma
Nunc tui studij benigna mater:
Ne condiscipulos, tuosque amicos
Contemnas puer optime, indolisque
Præclaræ: tuus iste nos fatigat
Discessus: tamen vlla si rapit te
Vis, vel imperium, memento saltem
Nostri dimidium venire tecum:
Et, quam nos memores tui figuram
Conseruabimus hic, tuebimurque;
Reddas fac, precor, expolitiorem;
Nos hic sustineas epistolisque,
Dum te Felsineæ tenebit vrbis
Cælum, quod tibi sit diu secundum,
Et quo te pede conferas, & astro
Dextro, vt post redeas Solone maior.

In

In obitum Columnæ catellæ.

CVSTODES *pecoris, gregisque fidi,*
Et terror volucrum; & metus ferarum,
Spartani, & celeres canes Molossi,
Cyrnæi feritate præpotentes,
Insignes leuitate Gallicique,
Quos mittit Meliteque, paruitate
Sola virginibus placere suetos,
Huc tristes, rapidique conuolate:
Nam vestri generis decus, Columna
Extincta est, dominæ catella nostræ:
Illam carmina lugeant: camœnæ
Deplorent: lachrimas piæ puellæ
Spargant, funera voce prosequentes
Lugubri, & querula: dolete cuncti
Vates, atque homines venustiores.
Dianæ comites adeste diuæ;
Et vos ò Veneres, Cupidinesque;
Nymphæ vos etiam, & vocate Faunos,
Syluanos, Satyrosque, Gratiasque:
Omnes pectora tundite, & capillos
Scindentes, niueas genas rigate:
Est solatiolum meæ puellæ
Ereptum: dominæ, domusque cunctæ
Heu sunt deliciæ nouæ peremptæ.
Jucundissima mortua est Columna;

Irati domini manu necata:
Is, dum percuteret canem sagacem
Hispanum solitum feræ fugaci,
Et vulpi, & lepori piger volanti
Vitam tradere, liberumque cursum;
Ad vocem querulam catella currit,
Hispani miserata duriores
Ictus, ad domini misella supplex
Deuoluta pedes, gemens furente,
Cæcoque à domino latus, caputque
Percussa est, grauiter cadente fuste,
Hispano fugiente cædis vno
Autore. At superi canum maligne
Perdant pessime te, tuosque fœtus.
Verum molliter excubet Columna,
Sacrato in tumulo nouo reposta,
Consperso vndique lilijs, rotisque,
Pallenti violaque, amaracoque;
Carmen quem decoret pium, sacrumque.
Ossa hic sunt sita nobilis Columnæ
Ad sellam solitæ excubare herilem,
Et semper dominæ sinu foueri;
Quòd dulcis foret, & venusta valde

E Lodouici Ariosti poemate Etrusci versus in latinos conuersi.

Il dolce sono mi promise pace;
Ma l'amaro veggiar mi torna in guerra:

Il

Il dolce sonno è ben stato fallace;
Ma l'amaro veggiar, oime, non erra:
Se'l ver m'annoia, e'l falso si mi piace:
Non oda, ò vegga io mai piu vero in terra:
Se'l dormir mi dà gaudio; e'l veggiar guai,
Possa io dormir senza destarmi mai.
Promisit pacem dulcis mihi somnus: at illam
Vertit acerba dies in fera bella mihi.
Lusit imaginibus dulcis me somnus, amara
Non fallit miserum, peruigilemque dies.
Si vera excruciant, delectant falsa, placentque:
Sint auri, atque oculis omnia falsa meis.
Si vigilare grauis dolor est, dormire voluptas,
Æternus claudat lumina nostra sopor.

Ad Amorem.

EN *morior, torquere faces, torquere sagittas*
Nil opus est: Veneris desine saue puer.
Desine: namque ardens tua fax mea corda peredit:
Ecce vomunt flammas pectora adusta nouas.
Non est, quo immitis crudas iaculere sagittas;
Concedunt nullum vulnera prisca locum.

Hæc, quæ nunc legisti ad Amorem carmina, candide lector, cum sequentibus item ad eundem cum forte ab Antonio Bonangelo autoris studiosissimo missa ad

sa ad amicum quendam suum Ferrariam fuissent, adeo ei, ad quem missa sunt, placuerunt, adeo visa sunt venusta, & pulchra, vt illa typographis imprimenda tradere non sit veritus, impressaque mittere ad præstantissimos quosque Galliæ in primis Cisalpinæ Etruscos poetas, à quorum multis quoniam in Etruscum, nostrumque sermonem adeo feliciter versa sunt, vt non minus ex Etruscis, quàm ex Latinis capere voluptatis possis, ideo tuæ consulens autor oblectationi, voluit te vtraque habere, legereque eodem loco.

Dell'Illustre Signora Tarquinia Molza.

ECCO *ch'io moro già; nulla piu vale*
Empio, crudel'Amore,
Adoprar contra me facella, ò strale.
Hanno homai nel mio core
Occupato ogni loco
L'antiche piaghe, e'l foco:
Cessa, che puoi tu fare?
S'incender non mi puoi, ne puoi piagare?

Del Signor Galeazzo Augieri.

ECCO *io moio, ne piu conuien, che auuenti*
Le faci, e strali ardenti;
Cessa homai crudel di Vener figlio:

Cessa,

Cessa, che la tua face
Tutto ripieno m'ha di fiamme nuoue:
E porge tregua, è pace,
Che fuor di tempo pioue
Un nembo di saette al nostro petto;
Doue piaghe con piaghe hanno ricetto.

Del Signor Cristofaro Bartoli.

ECCO *ch'io moro: le saette, e'l foco*
Indarno hor opri ò di Ciprigna putto:
Fermati: il cor combusto à poco, à poco
M'ha l'ardente tua face il petto tutto:
Anzi non è più in me rimaso loco,
Che impiagato non habbi, arso, è destrutto:
Hormai dunque deponi il foco, e l'armi;
Che vn morto saettar tua infamia parmi.

Del Signor Gioseppe Boccauecchia.

ECCO *ch'io moro; in van saette, e dardi,*
Empio fanciullo auuenti, in van piu m'ardi:
Cessa; luoco non è nell'arso core
Hor, che cener è tutto, à nuouo ardore:
E la tua man di ferir sempre vaga
Non ha nella mia vita
Dall'antica ferita
Spatio, oue possa far nouella piaga.

Del Signor Pietro Cresci Anconitano.

ECCO, lasso, ch'io moro, ond'opri'n vano,
Fanciul crudo, e inhumano,
Le saette, e le faci al mio morire:
Cessa, deh cessa homai
D'ardere, e di ferire
Di nuouo'l cor, che incenerito m'hai.
Gia le nouelle fiamme escon dal petto
A mille à mille v'non han piu ricetto;
Ne v'è rimaso loco
Mercè del tanto foco,
E de l'antiche sue piaghe mortali,
Doue auenti, crudel, facelle, e strali.

Ad Amorem.

QVID lacerum laceras pectus? quid corda sagittis
Improbe contundens saucia vellis Amor?
Quid pœnam pœna, cumulasq; dolore dolorem?
Quid flammas flammis, vulnera vulneribus?
Quid geminas ictus? quid tela volantia torques?
Desine; iam morior: desine saeue puer.
Quæ modo multa facis, sunt irrita vulnera: nullum
Inueniunt vacuum tela, facesq; locum.

Te sequimur; tua præda sumus, depone sagittas;
Seruasse insontem gloria maior erit.

D'Incerto Auttore.

IL mio seno, e'l mio cor crudele Amore,
Non hanno, onde gl'infiammi, homai piu loco;
A che dunque piu giunger foco à foco,
Pena à pena, è dolor empio à dolore?
Perche raddopi i colpi? e con rigore
Gli strali auuenti, oime? deh ferma vn poco;
Ferma, ch'io l'alma essalo; ferma, e gioco
Non prender piu del mio mortal horrore.
Quelle infinite piaghe, che m'apporti,
Piaghe non son, ne piu ponno hauer parte
In me le faci tue pur troppo ardenti.
Te segno, Signor mio; me ne tuoi forti
Lacci stretto hai; sian le saette sparte,
E ch'io viua à tua gloria al fin consenti.

Del Signor Primasso Asciutti Bresciano.

CHE piu stratio al mio petto,
O che piu piaghe al core
Empio raddoppi Amore?
Rimanti: in me gia morte opra suo effetto.
Rimanti fiero hormai non trouan loco

A noua piaga tue saette, ò foco:
Vinto tua preda sono:
Pon l'arme; è maggior gloria il dar perdono.

Del Signor Sigismondo Trotti Bresciano.

PERCHE'L *mio petto, e'l core*
Empio già lacerato squarci Amore?
A' che raddoppi pena, fiamma, e doglia,
A' doglia, à fiamma, à pena? resta, io pero;
Restin crudel arciero;
In vano feri homai, ne'n questa spoglia,
Noua piaga puoi far: ti seguo, e sono
Tua preda; depon l'arme:
Maggior gloria ti fia di pena trarme.

Del Signor Hercole Caualletti Ferrarese.

DEH *perche stratij Amore*
Un già stratiato petto, e suelli il core?
Deh perche pena à pena, e foco à foco.
Crudel aggiungi, e dolor à dolore,
E piagha à piaghe? perchè disleale
Raddoppi i colpi, e le saette d'oro?
Ferma fanciul la man, ferma, ch'io moro:
A' tue ferite non ha'l cor piu loco;
Son tua preda, te seguo; homai lo strale.
Deponi

Deponi arcier possente.
Saluar è maggior gloria l'innocente.

D'Incerto Autore.

ACHE *ferisci il mio ferito fianco?*
A' che crudel Amore
Il saettato core
Mi premi, e suelli ogn'hora? ancora stanco
Non sei d'accrescer pena à la mia pena?
E al dolor dolore?
Et alle fiamme fiamme? e à le ferite
Aspre ferite? à che nouella lena
Nel ferir mostri? à che tante spedite
Saette scocchi? Resta;
Io già mi moro; resta empio fanciullo
Quella, c'hora ver me moui, tempesta
Fa piaghe da trastullo,
Che nell'istesse piaghe, e nelle fiamme
S'immerge il ferro, e'l foco auuien, s'infiamme.
Te seguo, son tua preda, depon l'arme,
Che sol gloria ti fia, se puoi saluarme.

D'Incerto Auttore.

ACHE'L *petto squarciato squarci, Amore*
Empio, e'l cor arso, e punto ardi, & impiaghe
Fiam-

Fiamme à fiamme aggiungendo, e piaghe à piaghe
Et à vecchio martir fresco dolore.
A' che raddoppi i colpi? è piu rigore
Accresci à l'arme tue volanti, e vaghe?
Cessa, ch'io pero homai; cessa, & appaghe,
Ch'io di vita esca, aspro fanciul già fuore.
Indarno opri la man pronta, & ardita,
Che in me (lasso) trouar non pon piu loco
D'auampar, da ferir tue faci, e strali.
Te sol seguo io: tua preda sono; il foco
Deponi, e l'arco, onde tanto esi, e vali;
Che piu d'honor ti fia serbarmi in vita.

D'Incerto Auttore.

A CHE *laceri vn petto lacerato,*
Et vn ferito cor ferisci Amore,
Con tuoi pungenti strali? à che al dolore
Dolor accresci, e pena à pena ingrato?
A che fiamme à le fiamme, e à vn'impiagato
Seno pur piaghe aggiungi? à che'l furore
Raddoppi in saettar questo mio core?
Cessa, moro io, cessa fanciul spietato.
Le piaghe, c'hor mi fai, non fanno frutto;
Ne dardi, ne facella trouan loco
Da ferir piu, d'abbrugiar nel mio petto.
Te seguo; son tua preda fatto in tutto;

Deh

Deh pon giù Amor, ti prego, l'arco, e'l foco.
Che honor ti fia saluar, chi t'è suggetto.

Del Signor Ottauio Ferri Maceratese.

ACHE *pur tenti Amor, à che pur tenti*
Di lacerar vn lacerato core?
A che aggiungi pur empio à duol dolore,
Et à vecchi martir noui tormenti?
A che noua esca à gli miei incendij ardenti
Di nouo aggiungi à che tanto rigore?
Cessa, ch'io moro homai, deh cessa Amore;
Che in me non trouan loco i strai pungenti.
A che pur osi in vano ahi crudo arciero
Raddoppiar colpi con piu gagliardia?
Deh ferma homai Signor, deh dammi aita.
Te seguo, son tua preda, almo guerriero
Depon gli strai, che piu gloria ti fia
Saluar vn tuo suggetto, e darli vita.

Del Signor Christoforo Bartoli.

LACERI *vn petto lacerato? e auuenti*
Saette à vn cor trafitto? e pena, doglia
Aggiungi à pena, e à doglia? e fiamme ardenti
A fiamme Amor, ond'io via piu mi doglia?
E ferite à ferite? aspri, e pugnenti

Raddoppi

Raddoppi i colpi? Ah resta, e cangia voglia.
Serbami viuo, e fia tua gloria; loco
Non han piu in me dardi, ferite, e foco.

Del medesimo.

VN *seno lacerar lacero, e strali*
Auuentar contra vn saettatò core.
Cumular pena à pena, aspri, e mortali
Colpi à chi langue, e fiamme à intenso ardore,
Raddoppiar le ferite, aggiunger mali
A chi giace, e si muor, maluaggio Amore.
Che prò? deh serba il foco, e le saette,
Ch'opri in vn vinto, à piu giuste vendette.

Del medesimo.

FOCO, *e saette oprar contr'vn, che langue,*
Non è mestier, crudo di Vener figlio:
Incenorito il cor, tinto di sangue
Scorgi il mio petto, e tu pur turbi il ciglio:
Lascia il foco, e gli strali, onde gia essangue
Mi vedi, e addotto al mio maggior periglio:
Ch'e maggior gloria di seruar vn viuo,
Che dargli morte, ò pur farlo cattiuo.

Del medeſimo.

IO moro Amor, però le faci, e i dardi
Deponi: ecco il cor punto, e'l petto aduſto:
Arſo, e ferito è quel, c'hor pungi, & ardi;
Ne luogo è in me, ſia quanto voglia anguſto,
Che non ſia piaga, e fiamma, ſe vi guardi:
Dunque qual frutto traggi, e qual'hai guſto
Dal ferir, e brugiar vno, che tinto
Di ſangue, & arſo à te ſi rende vinto?

Del medeſimo.

S'IO moro, à che la face
Pur opri, e le ſaette,
Ch'arſo già il petto, e'l cor trafitto m'hanno?
Ma forſe anco ti piace
Noue ſtragi, e vendette
Veder di quei, c'hai vinto,
E à chi ſi giace eſtinto,
Procurar noue piaghe, e nouo danno,
Maluagio, empio tiranno.
Qual riportar potrai
Gloria, & honor giamai
Del dar nouo tormento
Ad un, cui dianzi ardeſti
L'alma, & il cor pugneſti;

Si che ne resta spinto,
Chi crederia, ch'vn Dio
Potesse esser si rio,
Che ferisse, & à torto,
Vn' huom, poi ch'ei l'ha morto?
Strali, pene, e dolore,
Fiamme, e ferite, Amore,
In me doue oprar vuoi,
Se'l foco, e i dardi tuoi
Ogni parte, ogni lato
Già m'hanno arso, e impiagato:
Ne chieggio altro ristoro,
Se non, ch'io dico, Amor non più, ch'io moro.

Del Signor Piero Cresci Anconitano.

A CHE'L *fianco ferito*
Di nouo impiaghi, Amore?
A che, s'è incenerito,
Piu mi struggi, & auampi il miser core?
Con le fiamme, e co' dardi
Piu non pungi, e non ardi,
Che la materia manca;
Et io ti dono l'alma afflitta, e stanca.

Dell'istesso.

PERCHE, *perfido Amore,*
Ancor percuoti'l lacerato core?

Non ne sei dunque satio?
Non vedi homai, che non v'è luogo, ò spatio
A nuouo colpo, ò ardore,
Mercè del tanto suo patito stratio?
Opra con viuo petto il tuo valore,
Che l'estinto ferir non ti sia honore.

Del Signor Giosep pe Boccauecchia.

PERCHE *auentar piu strali entro il mio core,*
S'egli è tutto piagato, iniquo Amore?
E perche nel mio petto
A noua fiamma dar cerchi ricetto,
Se in lui piu non è dramma,
Che non sia foco, e fiamma?
Cessa, ch'io moro, i strai, la face accesa,
Serba à piu degna impresa:
Te seguo, à te mi rendo,
Tua preda esser intendo,
Ti fia gloria maggiore,
Se dai pietosa aita à chi si more.

Del Signor Orsatto Fatioli Anconitano.

SE *tutto il petto oime ferito m'hai,*
Perche lo squarci ancor non satio Amore?
E mentre i dardi dibattendo vai,

Suelli crudele vn'impiagato core?
Altro, che pene raddoppiar non sai,
Fiamme con fiamme, e con dolor dolore?
Non vedi, che più sempre mi rimpiaghi,
Mentre scuoti gli stral di volar vaghi?

Deh resta empio fanciullo, ch'io mi moro:
Se tu di piu ferirmi non hai loco:
In van cadeno i colpi; e i strali d'oro
Non trouan altro in me; che fiamma, e foco;
Ecco ti seguo, & in mio sir t'honoro:
Deh di piu saettarmi arresta il gioco:
Se vincer vuoi, ti fia maggior vittoria
L'innocente saluar, et maggior gloria.

Del Signor Filippo Massini Perugino.

A che piu'l punto mio petto ripungi.
Ferendo vn cor ferito à morte Amore?
Pena à pena, e dolor perche à dolore,
E fiamme à fiamme, e piaghe à piaghe aggiungi?
Perche i colpi raddoppi? à che congiungi
Tanti strai, che fan selua in mezzo al core?
Cessa homai: son vicino à l'vltime hore;
Fanciul, quanto sei tu da pietà lungi.
Indarno in me tante saette spendi:
Dar non ti posso à noua piaga loco:
Hor co i tuoi strali i proprij strali offendi.

Te seguo: son tua preda: l'arco, e'l foco
Depon, che con piu honor saluo hor mi rendi;
Poi che di vita homai m'auanza poco.

Del Signor Antonio Maria Vinco Fermano.

A CHE *ferisci il mio ferito petto?*
A che trafiggi'l mio trafitto core?
Pena à pena mai sempre, a duol dolore
Aggiungendo, & a fiamma caldo affetto?
A che raddoppi i colpi pargoletto,
E cieco Dio? tirando a tutte l'hore
In me volanti stral? deh cessa Amore,
Cessa, ch'hor hor fuora quest'alma i'getto.
Tu l'arco tendi indarno, che piu loco
Non ponno in me ritrouar certo mai
Li dardi tuoi pungenti, il viuo foco.
Te seguo: son tua preda sciogli homai
La tua faretra ch'a te honor non poco
Fia, sentir gran pietà de' miei gran guai.

In obeliscum Vaticanum Sixti V. Pont. Max. iussu in medium forum Vaticanum magnis traductum operibus.

QVAM *bene, quæ Augusti, & Tiberi signauit honores*
Obscuro moles, sustinuitq; loco,
Augustam Tyberine Crucem nunc vertice fulcit
Illu-

Illustrem medio, conspicuamq; foro.
Sixti opus egregium, cæli, monstrante Sibylla,
Ille aram, hic gaudet se coluisse Deum.

In eundem.

AVGVSTI, *& Tiberi veteres obeliscus honores*
Signauit cæcus deteriore loco.
Nunc illum Sixtus signare fidemq; crucemq;
Imperat in medio, conspicuoq; foro.
Ille Deum coluit Cæsar cum matre, Sibylla
Monstrante, hic gaudet se monuisse coli.

In Anconitanam Landi Ferretti Iuriscon-
sulti historiam.

SIs *ne Ancon hominũ, an manibus fundata Deorum,*
Et periucundo pulchra locata sinu;
Condiderint Siculi, an Dolopes tua mœnia Grai;
Struxerit au priscos Dorica turba lares;
Tyrrheni ne viri, veteresq; ab origine gentes
Principium generi tradiderintq; tuo;
An ne Syracosij fugientes iussa tyranni
Ad celsum tulerint tecta superba polum;
Fortunasq; tuas, & fata, & gesta nepotum,
Ætas, quæ tenebris, obrueratq; dies:
Ferrettus patriæ Landus, gentisq; benignæ
Edocet

Edocet insigni ductus amore suæ.
Non sinit in tenebris ciuis doctusq; , bonusq;
Obruta priscorum facta latere virum.
Vir sapiens, multa egregius pietate, fideque,
Anconitanæ consulit historiæ.
Consulit & patriæ famæ, dum rite recensct,
Quæ fecere patres, quæque tulere simul.
Tu vero Anconis genitrix, genitrixque Quiritum,
Alma Venus sancto numine adesto viro.
Ferretti annales, cæcaque è nocte recepta
Perpetuo viuant fac monumenta tui.

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTAE POEMATVM.

LIBER SEXTVS.

Epicedion in obitu Franciſcæ filiæ.



VAE *modo naſcentem ceciniſtis læta puellam*
Pieridum numeris officioſa manus;
Mulſiſtisq; meæ vagitus carmine natæ;
Et per quas illi eſt conciliata quies;
Soluite nunc triſtes crines; & pectora palmis
Tundite cum lachrimis, flebilibusque modis.
Huc ades, & mæſtos elegeia pande capillos,
[illegible] *erulos verſus voce dolente cane.*
Et vos, q[illegible] montes curatis, ſtagna, lacusque
Agmina nympharum, ruricolæque deæ.
Huc flentes Dryades, flentes properate Napeæ:
Huc mærens properet Naiadumque chorus.
Huc & Latonæ noua cura Diana parentis
Adſit inornatas dilaniata comas.
Huc Venus, huc Charites veniant, lugensque Cupido,
Extinctasque faces, fractaque tela ferens.
Tu quoque caſta Iouis proles ſine matre Minerua,
Ire decet caſtos, virgineosque rogos.

Nam,

Nam, cui tu ingenium dederas, oculosq; Cupido,
Ora Venus (miserum) pulchra puella iacet.
Et, qua nulla fuit maturis dignior annis,
Ante diem raptam mors inopina premit.
Eia igitur nostræ funus celebrate puellæ;
Et largo vestras fonte rigate genas.
Pro cithara tristes effundat tibia versus;
Perq; caput nostrum mœsta cupressus eat.
Non ego solamen tanti modo quæro doloris:
Nec posco Aonides vulnera nostra leuent.
Ex oculis miseri rapta est genitoris acerbè
Quæ mihi curarum nata leuamen erat.
Altius est vulnus, quàm quod medicina leuare
Ulla queat: non ars me tua Phœbe iuuat.
Carmina nil prosunt, nil carminis autor Apollo:
Non mihi Pegasides ferre potestis opem.
Si qua tamen studij tangit vos gratia nostri;
Si quis amor vatis pectora casta mouet;
Si, quo sum semper veneratus numina cultus
Vestra, fuit gratus visus, vt ille pius;
Ferte pedem, numerosq; breues, elegosq; dolentes;
Et tristi questus ore iuuate meos.
Carmine perteneros molli cecinistis amores
Sæpe; nec insano ferre negastis opem.
Ne vos pœniteat querulo mea maxima versu
Numina nunc tantis illachrimare malis.
Adria sis quamuis rapido, quo tolleris, Euro

Surdior, & nulla commoueare prece;
Sed tamen ad nostras aures deflecte querelas;
Quodq; potes, lachrimis ora, sinusque riga.
Dicitur & casum fleuisse Athamantidos Helles
Doris, cum medijs obrueretur aquis.
Fleuit & Icariam Tethys commota ruinam;
Dædala cum radijs penna soluta fuit.
Quis non Naupliadæ credat fleuisse nepotis
Funera, qui incerto dat rata iura mari?
Idem quo fletu Cycnum regnator aquarum
Vidit Achillea cuspide morte premi?
Mœrorem tamen ille suum solatur; auisque
Spargit candenti membra colore pater.
Plorent Nereides, Veneti pia numina ponti,
Tecum flauentes dilacerata comas.
Tu quoque Picenæ non vltima Doridos Ancon
Gloria, diuina pectora tunde manu.
Exemplumque tuum Cumeri nemorosa secuta
Defleat aerij quæ iuga diuá tenet.
At vos littoreæ nymphæ vineta Numanæ
Quæ colitis, sacris addite thura focis.
Fundite mœrentes preciosi pocula Bacchi,
Massica concedant, atque Falerna quibus.
Nec vos Firmanæ cultæ mihi cernere diuæ
Siccis luminibus funera nostra decet.
Vos ego sum semper summo veneratus honore,
Semper & agrestis vos mea musa colet.

Ploratu

Ploratu gratæ, lachrimisque fuiße camœnas
Vobis iucundas significate meas.
Et, si non memori de pectore fluxit alumni
Nomen, & insignis cultus, amorque pius;
Ferte rosas, violasque sacro suprema feretro
Munera, cum Clycie, lilia cumque croco.
Verum, quæ colles, & amœna vireta Marani,
Proximaque Adriacis arua tenetis aquis;
Et quæ Tyrrhenæ Hesperidum certantia Cupræ
Curatis ramis aurea poma suis;
Arbore candentem Assyria decerpite florem;
Et noua perdocta texite serta manu.
Phæacas præbete vndas, suauesque liquores,
Quos flore expressos Medica planta liquat.
Fluminibus lachrimans his membra lauabit odoris,
Frigidaque Halanti corpora mater aqua.
Aut, si mæsta nequit singultans munus obire
Tam triste, ingenti victa dolore parens;
Officium hoc præstet gemitu matertera multo;
Misceat & lachrimis flumina odora suis.
Vtraque quando auia excessit, vitamque reliquit;
Ne videat tantum longa senecta malum.
Quantũ illæ ingemerent; lacbrimis quibus ora maderẽt;
Fœdarent rugas, caniciemque manu.
Felices auias; illis non cernere neptis
Contigit ante diem funera acerba suæ.
Ipsa potes felix etiam Cornelia dici;

Lugentis quòd non aspicis ora soror.
A luctu fratris fortuna remouit amica;
Et te diuersis distinet illa locis.
Et nunc forte tuis, nostrorum ignara malorum,
Cum natis rides, atque iocaris ouans.
Illos incolumes seruent pia numina matri;
Ne quando gemitus experiare meos.
Cum tamen ingratus pulsabit nuncius aures,
Et fratrem natæ morte iacere feret;
Munus erit, germana, tuæ pietatis, amoris,
Quo fratrem valde diligis, atque colis;
Ægrè obitum infantis ferre, & deflere dolenter,
Præsentemq; meis fingere adesse malis.
Visa mouent magis; auditis non tangimur æquè:
Cernere mærorem fac videare meum.
Coge omnes circum te natas, coge nepotes
Mæsta tuos; lachrimas fundat amica manus.
Ingemat & frater; fratrisque Ascensia coniux
Exornet fletu funera nostra suo.
Tu quoque ab insigni disclusa Archangela luctu,
Dici non falsa voce beata potes.
Nam, licet Anconæ sis orta, habeasq; sorores,
Vxoremque meam, Zenobiamque tuam;
Iuncta tamen Comiti Manfredo, clauderis altis
Cesenæ illustri mœnibus vna procul.
Quæ tibi cedebant vni, matertera, forma
Ora, nec immiti pallida morte vides.

Non

Non spectas lachrimasq; meas, lachrimasq; tuarum:
Non aures pulsat nostra querela tuas.
Et quòd abes, felix, & quòd non contigit esse
Matri, nec prolis morte dolere tuæ.
Angit te, sterilis quòd sis; Peregrina, quòd vna,
Quam peperit natam, dempta sit, vsque dolet.
Sit dolor in primis noster miserandus, & ingens;
Concedant omnes tristitiæq; meæ.
Discussum video primum miser arbore florem
Ingratis nebulis, luctisonisq; notis.
Quæ plantam nostris crescebat nobilis hortis,
Excisis fibris arida facta cadit.
Radices secuit nocturno inimica bipennis
Tempore; non noto tabuit illa malo.
Non expectatum licuit decerpere fructum:
Immitis ramo decidit ille suo.
Qui valet in tanto lachrimas retinere dolore,
Ille mihi est Parius, Tænariusq; lapis.
Illum Caucasiæ cautes genuere; Pyrenes
Est ille è duro vertice natus homo.
Est illi Rhodope mater, pater Ismarus; illi
Hyrcanæ admorunt vbera sæua feræ.
Quæ poterunt igitur lachrimas excire dolenda?
Qui perturbabit mitia corda dolor?
Si non festiuæ mors immatura puellæ
Humanum est animum discruciare potis?
Quam mihi non fatum, nec acerbo funere ademit
Natura;

Naturæ; eripitur sed misero ante diem.
Illam vel Pallas, vel Iuppiter abstulit, ipsa
Inuida vel Iuno, vel Cytherea Venus.
Siue deus, seu diua fuit, certe illa supremo
Est aliqua citius numine adempta patri.
Scilicet & superi liuore, metuque laborant;
Et diuina malus pectora tangit amor.
Si Pallas rapuit, timuit Tritonia, natæ
Ne foret ingenij gloria prima meæ.
Idem in Mæoniam timor illam armauit Aracnen;
Versa in araneolum sed tulit illa metum.
Ast vni mea cessisset tibi nata, Minerua;
Nec spreuisset opes ingeniosa tuas.
Illa foret tanta diuæ duce, & vsa magistra;
Et Ioue prognatam percoluisset amans.
Ex patre nata tuum cultum, & didicisset amorem;
Ille tuum semper numen amauit inops.
Non tibi Iunonem, aut Martem, Bacchumque fidelis
Prætulit, aut Erycis quæ iuga celsa tenet.
Maluit is tecum obscurus, pauperque latere,
Quàm sine te clarus viuere, diues opum.
Sat magnas sibi diuitias, & regna putauit
Præstantes artes, ingeniumque ferax.
Quòd non inciderit tantum in bona tempora mœret,
Quodque sua aspiciat sordida secla nimis.
Felices dicit natos melioribus annis;
Cum fuit ingenijs gloria, summus honos.

Felicem

Felicem censet Flaccum, Varium, atque Maronem;
Principis Augusti quos tulit alma dies.
Non fauet ignauus Rex, indoctusque perito:
Nec culto princeps carmine gaudet iners.
O vtinam puppim sapiens aliquando gubernet
Nauta sacram Petri Roma beata tui.
Forte sacerdotes tunc cernes læta Mineruæ
Et curare greges, & canere acta Deum.
Docta gubernaclum teneat si dextera FELIX;
Ducendam felix accipiatque ratem;
Ille, inquam, FELIX; *magnis par Regibus, ille,*
Cuius nunc decorat purpura sancta caput;
Aut Sirletus amans Graiæ, nostraque camenæ
Egregius, radijs qui micat ipse suis.
Aurea tunc ætas, tunc secula prisca redibunt;
Vatibus est priscus tunc rediturus honos.
Florebit cum iustitia sapientia; Pallas
Artibus innocuis munera læta feret.
Tunc poteris Roma innumeros numerare Marones;
Non deerit Cicero, non grauis atque Cato.
O vtinam tales venisses filia ad annos;
O vtinam senior perueniatque pater.
Femineis studijs, patrijsque ornasset amica
Perdocile ingenium, nata, Minerua tuum.
Doctis principibus placuisses docta: locassent
E doctis lecto, principibusque viro.
Fauissent dominique pij, patresque benigni
Carmi-

Carminibusque tuis, carminibusque meis.
Sed te (me miserum) raræ præstantia formæ
Eripuit terris, eripuitque patri.
Nam Iuno verita est, fratrem ne forma, virumque
Torreret, magnis forma petenda deis.
Non fueras Io, non Calistoque futura,
Vxor sed iusti fœdere iuncta tori.
Hoc metuit regina deum Saturnia: pectus
Hac pupugit fœdus suspicione metus.
Prælatas sæpe illa nurus, nymphasque decoras
A magno vidit fratre, viroque sibi.
Sed tua quòd species visa est præstantior æquo;
Corripuit maior corda superba timor.
Non tam iusta fuit Ledæ, Semelesque timendæ
Causa, nec, Acrisius cur vereretur, erat.
Pace tua dictum sit Delia, nulla parentis
Cura Iouem, nullus sollicitasset amor.
Non erat Europæ taurus metuendus: amasset
Pro cunctis natam Iuppiter ipse meam.
Illam virginibus, pulchris quoque matribus, illam
Nymphis diuinus præposuisset amans.
Quis scit, an hanc etiam pulchram formosa Diones
Filia sustuleris liuida diua patri?
Hæc si de forma tecum certasset in Ida;
Fortassis Phrygio iudice victa fores.
Aut igitur metus hic animum Cytherea verentem
Impulit, vt raperes munera tanta Deum.

Aut pulchras neptes, pulchrosque videre nepotes
Cum cuperes, nato consulis ipsa tuo.
In cœlo, in terris quæsita est vxor Amori,
Est in piscosis oceanique vadis.
Non dea, non nympha est inuenta Cupidine digna;
Non par cœlesti visa puella toro.
Pulchrarum numero pulcherrima legit ab omni
Illi te vxorem, nata, sibique nurum.
Quòd si nos nostra hæc fallit sententia; diuum
Te pater ætherij vexit ad astra poli.
Forte hominum, & rerum summus Rex ille ministra
Vti pro Phrygio te Ganimede cupit;
Laomedontiaden ratus sibi turpe cinædum
Esse in complexu, delicijsque Ioui.
Quid si etiam, pulsa thalamo Iunone vetusto,
Vxor amatori est iuncta puella Deo?
Expectanda fuit, dum plenis nubilis annis
Integra virgo foret, dum patiensque viri.
Quid facis omnipotens pater? est de cœlite turba
Vxor, vel nymphis inuenienda tibi;
Si soror, & diuum regina superba tonanti
Displicet; incesti te pudet atque tui.
Mortalis natæ sors est, nec digna deorum
Coniugio, & plenos non habet illa dies.
Quòd si mortalis delectat forma; morare,
Dum sint connubijs aptior hora tuis.
Tunc rapito, & raptam diuinus amator habeto

Iunctam cælesti, perpetuoque toro.
Vagiat interea cunis, sine, & vbera matris
Attrectet ludens, & vocet ore tatam.
Nam septena quater quam lux dedit alma Decembris,
Cunctorum diuum conuolat astra die.
Illi non licuit lustrantem cernere Phæbum,
Telaque Chironis, semiuirique manus.
An patris exaudire preces, vocesque recusas,
Quòd non est ætas dignior vlla Ioue?
Non grauat hanc error; non inficit vlla Cupido;
Nec cæleste premens cura moratur iter.
Nam veterum labes vitio contracta parentum
Ilicet est omnis flumine tersa pio.
Felices, quibus est concessum munere diuum
Post vndæ ætheriæ sacra lauacra mori.
Non illi inuisunt manes, tenebrasque profundas;
Non adeunt stygij regna timenda Iouis.
Non illis scelus eluitur, non crimen auitum;
Non illos cruciat, nec sua culpa premit.
Excedunt terris; cæcisque ò corporis vmbris
Insons lætantur carcere missa manus.
Exuti humanis curis, vinclisque soluti,
Fortunæ instabilis nulla pericla timent.
Linquunt errorum, & mortalia plena laborum;
Dæmonis effugiunt insidiasque mali,
Vitatis mundi illecebris, quæ perdere possunt,
Aut, si non perdunt, commaculare queunt;

Diuorum

Diuorum læti magna comitante caterua
Cœlestes adeunt, lætificasque domos;
Vnde olim prauos animos, populumque rebellem
Eiecit diui dextera fortis heri.
Axe ignara manus pulsa, & deiecta superba
Tartara adit miris excrucianda modis. mjris
Quodq; suas ædes, stellata palatia cœli
Fidus homo teneat, liuida turba dolet.
Rumpitur inuidia; tantis priuare fidelem
Tamque bonis magnis insidiosa cupit.
Innumeros tendit laqueos, & retia mille;
Nititur & multis fallere vafra dolis.
Obiectat varias, irritamenta malorum,
Peccandi causas, commoda plura sagax.
Nec prius absistat, quàm vicit; sæpe timenda
Excedit pugna victa, fauente Deo.
Nouit mille vias, artes quoque mille nocendi.
Plus est, quàm, si quis non capiatur, homo.
O vos felices, ò terque, quaterque beatos,
Quos nunquam potuit vincere praua cohors.
Vos quoque felices, qui succubuistis; ab hoste
Surgere sed victos contigit inde leues.
Luxistisque diu ante actæ mala crimina vitæ:
Nec puduit longa vos macerare cruce.
Et detersistis maculas, culpasque priores,
Perpetuo tristes rore rigante genas.
Inde & cauistis, nequo vos perfidus astu,

Hostis deciperet, perderet atque vetus.
Vos etiam infantes nimium, nimiumque beatos,
Quos mors lustratos ad tumulum rapuit.
Namque patet vobis stellantis ianua cœli,
Quam reserat domini Crux veneranda pij.
Ecquid vos dixistis quicquam, an[redacted] fecistis olympi
Dignum permagnis, perpetuisque bonis.
Ille cruor, cruor ille, Crucis qui flumine lignum
Irrigat immenso, crimina vestra [redacted]. Lauat
Felices iterum infantes, iterumque beatos,
Quos mors innocuos approperata beat.
Reginam, magnamque deam te, nata, puella
Ex parua factam credimus esse polo.
Mortalis fueras, terrarumque incola; verum
Nunc immortalis sidera facta colis.
Pondere corporeo posito, & compage reclusa
Carceris exigui læta, leuisque volas.
Astra volansque petis cunctis comitata beatis
Virginibus, superum quas tenet aula patris.
Est ibi cum nullo commista dolore voluptas;
Illic cum nullis sunt bona mista malis.
Vita ibi perpetua est, leti formidinis expers;
Non ibi spes stimulat, non ibi corda metus.
Quæ sperant homines, illic potiuntur amici,
Cultoresque Deum, cælicolæque Iouis.
Pectora ibi æterno, & diuino vruntur amore;
Inceditq; animos mutua flamma pios.

Inde

Inde beata cohors nostram miserata ruinam,
Mitigat inuicti numina terna Dei.
Placat & iratum nostris erroribus illum
Clementem verbis, supplicijsq; patrem.
Illa manus nobis est ore, & corde colenda;
Consulat vt nostris turba benigna malis.
Fallimur? an teneris calcat nunc sidera plantis?
Nataq; de summa despicit arce patrem?
Non nos decipimur, non fallimur Hercule: cernit
Oppressos luctu, mœstitiaq; suos.
Sorte sua gaudet; sed mœstos mœsta parentes,
Excedens terris, destituisse dolet.
Aut potius vanas lachrimas, vanumq; dolorem
Ridet, discessu facta beata cito.
Quodq; sit in cœtum, numerumq; recepta dearum,
Auxerit & virgo virgineumq; chorum;
Lætatur, complexa Iouem, fruiturq; deorum
Colloquio, & mensis accubat alta pijs.
Vescitur ambrosia; perdulci nectare pellit
Læta sitim; sacras libat & ore dapes.
Et nunc elysios campos, & amœna vireta,
Et fortunatos lustrat, aditq; locos:
Nunc volucres vario mulcentes æthera cantu
Audit, & in viridi læta recumbit humo.
Nunc cum virginibus colludens virgo beatis,
Et plaudit choreas, & canit acta Iouis.
Illam præcipue diuino ex agmine adorat,

Est

Est quæ plena Deo, virgo, parensq; simul.
Illi serta parat violis contexta, rosisque
Pulchra coronatas cum gerat ipsa comas.
Respicit intactas vlla sine labe puellas,
Constantes animos, fortia corda nimis.
Te Catarina minus spernentem, & verba tyranni,
Miratur magno pectore tela, rotam.
Parcere Agneti flammas, non tangere corpus
Ausum ignem castum, castaque membra, stupet.
Freta Deo, Aspasio illudit Romana puella;
Quam vehit ad superos palma superba toros.
Lætari abscissis Agatham, & ridere papillis,
Præsidis insani nequitiamque videt.
Gaudet amatorem cœlestem ostendere fido
Cæcilia, ætherias deliciasque viro.
Ante Syracosiis opibus fert Lucia cœli
Thesauros, spreta dote, viroque simul.
Massylus parcit Priscæ Leo; Claudius illi
Non parcit cunctis sæuior ipse feris.
Quid firmas alias memorem, stabilesque puellas,
Sanguine quas decorat tincta corona suo?
Martyrio insignes animas, mentesque pudicas,
Miratur diuas, & veneratur amans.
Quo cultu illa Annam, & Martham, Marthæq; sororem
Prosequitur, reliquas cœlicolasque nurus?
Quam crebro veterum vatum responsa piorum,
Et fata attenta percipit aure stupens.

Dele-

Delectant gestæ res, atque oracula Mosis,
Acceptæ leges, alloquiumque Dei.
Mira animum capiunt: dextram, virgamq; potentem
Suspicit, & carmen, magnanimamque ducem.
Regi ille illudit Phario; populumque timentem
Traducit sicco per freta rubra pede.
Vescuntur dape cælesti iuuenesque, senesque:
Mox vitulum auratum perfida turba colit.
Dum puer aggreditur funda, saxoque gigantem;
Ancipites casus, & fera bella timet.
Verum, cum canitur Solymis per compita: Dauid
Percussit forti millia multa manu;
Gratatur vati eximio, regemque salutat:
Ille autem psallens fata futura canit.
Deque suo cernens oriturum semine Christum,
Lætatur toto corde nepote Deo.
Arguta gaudet cithara, fidibusque canoris
Filia, diuini carminibusque viri.
Spectat læta patres sanctos, sanctosque prophetas,
Aligerosque Deos, militiamque sacram.
Agnoscit Petrum, ac Paulum, reliquosque ministros
Diuini verbi, discipulosque Dei.
Illi gesta sui testantur mira magistri
Portentis, vita, voce, cruore, manu.
Morte redit victor superata ad sidera doctor:
Mittitur è læua spiritus inde patris.
Ille rudes reddit, piscatoresque disertos;

Confirmat timidos, impauidosq; docet.
Illius auxilio fidei fundamina certæ
Parua manus iaciunt, & duodena virum.
Imperio Domini, monitu quoque pneumatis almi
Funditur à paucis per loca cuncta fides.
Cœlestes sparguntur opes: monstratur vbique,
Contendi ad cœlum qua ratione queat.
Reges, & populi turba vincuntur inermi:
Fundantur vero plurima templa Deo.
Purgatur maculis, priscisque erroribus orbis:
Oreque percupido flumina sacra petit.
Crux colitur, signum fidei, signumque salutis;
Figitur aerio quolibet alta loco.
Illi aperit, nudatque caput; pia verba, salutem
Credens turba humili corde fidelis ait.
Bissenos sequitur primos, doctosque magistros
Testes purpurei, magna caterua virum.
In quibus effracto fulget protomartyr olympo,
Cernens unius numina trina Dei.
Cyriacus numero, cætuque videtur in illo,
Inuenisse se ouans, atque tulisse crucem.
Bassus ibi est ferro, & verubus plantasque, caputq;
Traiectus, cæsus verberibusque feris.
Indomito constans, & fortis Episcopus ingens
Pectore supplicium, martyriumque subit.
Viuis impositus prunis Laurentius assum
Corpus Parthenium, tostaque membra docet.

Et

Et monet, vt verset, combustaque corpora mandat,
Deuoret & diras efferus ore dapis.
Magna acies, inuicta phalanx, per tela, per hostes
Testatur diuam sanguinolenta fidem.
Exultant læti, victis, domitisque tyrannis,
Se passos vera pro pietate necem.
Post hos de mundi illecebris, hostisque vetusti
Insidijs legio magna triumphat ouans.
Non hos transuersos egit furiosa libido;
Non spes, non odium, non superauit amor.
Fassa Deum veneranda manus, sancta, atque pudica,
Diuinis inhiat mente, animoq; bonis.
Dextra gerit palmam; cingit pia tempora laurus;
Extenuata tegit candida membra toga.
Fulget in his humilis Francisci insignis egestas,
Quem decorant domini stigmata sancta sui.
Gentili plaudit natæ pauperrimus heros:
Dici illa est tanti nomine læta viri.
Lectorum procerum triplex ordoque, chorusque
Insequitur patrem, concinit atque ducem.
Quam triplici sancto numerantur in ordine magni
Cardineique patres, Pontificesque pij.
Agmina quid referam deserta, atque antra colentum?
Vitantum lautas, regia tecta, domos?
Qui vitam ferme in terris duxere deorum
Cultu pertenui, pertenuique cibo.
Non hos imperium, non sollicitauit auaros

Argenti; atque auri non saturanda sitis.
Felices homines, quòd, quæ miramur inertes,
Amentesque, verum nescia turba; bona
Fugerunt, causas scelerum, causasq; malorum,
Ingentes animis ad mala quæque faces:
Pone venit veneranda manus diuina docentum,
Monstrantum ad cælum multiplicesque vias.
Docta cohors præcepta Deum, chartasq; piorum
Explicat; antiquis conciliatq; nouos.
Disputat; errores aperit; falsosq; refellit
Doctores verbis, eloquioq; graui.
Cuncta triumphantum, & cælestia templa tenentum
Agmina carminibus si numerare velim;
Possem etiam stellas cælo numerare sereno,
Ægei fluctus, Ioniiq; maris.
Ad tantos te abiisse viros, talesq; puellas,
Et matres certo cum, mea nata, sciam;
Et videam varias curas, magnosque labores
Egressam vitæ tam mala multa breuis;
Non pater inuideo lætis, rebusq; secundis,
Atque voluptati, lætitiæq; tuæ,
Cerno etenim rapidos orbes, cælique figuras,
Atque premi tenero signa, polosque pede.
Despectas isto ex puro purissima cælo
Astrorumque decus, luminis atque patrem:
Ferri illum supra lunam, quæ proxima terris
Incubat, ipsa tuo lumine certa vides.

Sub fratris regno volucrem properare sororem
Despicis, & radios accipere inde suos.
Phœbeo interpres diuum Cyllenius orbi
Imminet, atque citas itque, reditque vias.
Cerneris & Marti Cytherea subesse potenti:
Aptior ambobus non locus vllus erat.
Si non mulcendi tenuisset cura parentis,
Illa fuit sedes numine digna Iouis.
Verum ille à Phœbe sextum dum concitat orbem,
Mitigat ærumnas, tristitiamque patris.
Esse etiam poterat tua Phœbe insignis olympi
Clari quarta ædes, & media illa domus.
Sed te blanda soror non longè abscedere ab ima
Germanum patitur Cynthia lucis egens.
Nequis Atlantiadæ tribuat tecta illa; minorem
Tam celebri, & digno se putat ipse loco.
Octauus varijs signis, varijsque figuris
Cetera distinctus continet astra globus.
Aureus inde aries precioso vellere diues
Visitur obliquam primus inire viam.
Taurus, Agenoream quòd per freta vasta rapinam
Detulit incolumen, signa secunda tenet.
Proxima Tyndaridæ complent loca lumine: cancer
Alcidæ insequitur qui pede pressus obit.
Theumasius pugnæ Herculeæ memorabile signum,
Horridus apparet dente, iubisque Leo.
Displicet Erigones pietas temeraria; postquam

Diuidit in partes tempora libra pares.
Scorpius hinc, Chironque senex; præceptor Achillis;
Affinem Aegoceros gaudet habere Iouem.
Hic fuit Oleniæ nutritus lacte capellæ;
Illum eadem peperit grata capella deo.
Tu quoque, stellata qui versas flumina ab vrna;
Munere amatoris lucidus astra tenes.
Quid vobis pisces cum cælo? clauditis agmen
Cur nitidi? extremas conteritisque vias?
Quæ tua lætitia est, quæ gaudia, nata, per axem
Sidera cum varijs motibus ire vides?
Spectas Parrhasias, Iunonia vulnera, stellas,
Conspicuoque loco probra notanda Iouis.
Pleiadas, pluuiasque hyadas, pigrumque booten,
Fulgentem Andromeden cum patre, cumque viro.
Illic Orion, illic quoque Cressa corona
Cernitur, & victa Colchide prora ratis.
Quid varias formas rerum, atque animalia dicam,
Heroasque poli, cælicolasque viros?
Quæ licet ætherio splendescant astra nitore,
Lumine vincuntur sed tamen illa tuo:
Vix bene de ignito cælo, domibusque beatis
Conspicitur medio terra remota loco:
Arctior est breuitate sua spernenda; nihilque,
Ducenda; & nebulis vndique cincta suis.
Angustis pro tam regnis pugnare cruenter
Irrides nostros, agmina stulta, duces.

Ludimus?

Ludimus? an verè sunt hæc modo gaudia nata?
Et desiderio blandior ipse meo?
Ludimus: heu sunt hæc vigilantis somnia patris:
Solatur lachrimas queis miser ille suas.
Nam, quæ nunc primo iacet obruta limine vitæ,
Mox erit exiguus, puluereusque cinis.
Quis tibi tam sæuas scripsit mors improba leges?
Tamque in mortales tristia iura dedit?
An tibi pro iure impietas, pro lege libido est?
Et rata naturæ vertere iura licet?
Cur prior ingressus falsæ mala gaudia vitæ,
Non ab eo properans, egrediorque prior?
Cur pater extinctam natam, non nata parentem
Deplorat? lachrimis prosequiturque pijs?
Infans eripitur grandæuus linquitur; atque hoc
Et videt, & fieri Iuppiter ipse sinit.
Quis pater altitonans credat mortalia curæ
Esse tibi? & certo numine nostra regi?
Cum liceat morti imperio miscere nefando
Omnia, & audaci vellere cuncta manu?
Non expectato pulsat pede pallida Regum
Aerias turres, marmoreasque domos.
Non ego, quòd, qua falce metit iuuenesque, senesque,
Præmetit, heu, natàm conqueror illa meam.
Hoc queror, hoc doleo, quòd non audire loquentem
Fas fuit, & certos percipere ore iocos;
Quòd non incessit, quòd non properantia mouit

Crura,

Crura, nec est firmo terra notata pede.
Quòd non accubuit mensæ genitoris, & ora
Culta tulit, comptas ad pia templa comas.
Quod non agnouit tedas, vinclumque iugale,
Quòd non legitimi fœdera casta tori.
Quòd mihi non neptes peperit, peperitque nepotes;
Quòd nulla fulsit posteritate domum.
Quòd non longæui morientia lumina clausit,
Defunctumque leui contumulauit humo.
Hoc queror, hoc doleo, hoc, mœstum me conficit vnum,
Nec sinit hoc lachrimis ora carére suis.
Torqueor interdum, quòd matris nomine dixi
Franciscam; pietas obfuit ista mihi.
Non est fas auiæ dici cognomine neptem:
Non licet hoc nostra nomen inesse domo.
Viueret, heu, fratris pulcherrima filia forsan,
Si non infausto hoc nomine dicta foret.
Quòd non illa annos tres attigit, ista vel vnum,
Nominis efficitur conditione mali.
Nomen honoratum semper mihi, semper acerbum
Hoc, quando superi sic voluistis, erit.
Hoc mater queritur, queritur matertera; & istud
Credere me natæ nomen obesse volunt.
An potius nocuit tantæ præstantia formæ?
Quod visa est superis dignior esse polo?
Felix prole tua nimis ò Peregrina fuisses;
Si propria hæc diuum munera firma forent.

Non

Non fuit (vt credis) pulcherrima nata puella;
Non Francisca fuit, sed fuit illa Venus.
Non frontem, ac faciem, non os mortale gerebat:
Idaliæ Veneris pulcher ocellus erat.
Quid multum, aut digitos laudẽ? quid pectora pulchra?
Pectora Hyperborea candidiora niue?
Certe erat illa Venus cœlo delapsa sereno
Antiquæ Anconis visere templa suæ.
Quòdq́; sua inuisens, nos sit dignata parentes,
Ingens hoc munus Cypridos esse reor.
Ocyus excessit, veloxq́; petiuit olympum,
Quòd terris numen non licet esse diu.
Quid diuos, atque astra vocas crudelia mater,
Increpitans diri fata sinistra poli?
Quid quereris nentes fatalia fila sorores
Stamina non vacuo dissecuisse colo?
Quid laniata comas, liuentia pectora tundis?
Et resonat mœstis questubus aura tuis?
Irrita quid sæuo dicis conuicia cœlo?
Quid quereris surdos ad tua vota deos?
Felix, non nasci cui contigit; ille beatus
Est quoque, quem sequitur mors cita, vita breuis.
Non qui plus vixit, plures numerauit & annos,
Ille magis felix, plusque beatus obit.
Non est (crede mihi) felix, quæ longa; nec illa,
Quæ diuturna magis, vita beata magis.
Laomedontiades Tithonus vt æthera cantu

Impleat,

Impleat, & querulis rauca cicada sonis.
Quid, nisi vita facit longa, & productior ætas,
Coniugis auroræ munera tracta diu?
Si breuior data vita foret, non Memnona natum
Flesset Achillea succubuisse manu.
Secla senex Pylius numerat quòd tertia, iniquè
Sæpe tulit, Canus Troica bella gerens.
Quas senior lachrimas, cum vidit ab Hectore cæsum
Antilochum, fudit? quos gemitusq; dedit?
Obscœnus viuit longissima tempora Coruus;
Felicis nomen non tamen ales habet.
Longam ramosi testantur cornua cerui
Ætatem; cornix secula multa videt.
Num tamen, vt ceruus fieret, cornixque rogauit
Vllus homo superos? vota tulitque Ioui?
Vita fugit; celerique ætas fluit ocyor euro:
Festinat propero mors metuenda pede.
Omne bonum terrestre fugax: quod torquet, & angit,
Longinquum est, miseros excruciatque diu.
Dant bona sæpe malis superi; crucientur vt illis
Sublatis grauius, perdoleantque magis.
Dant mala sæpe bonis, vt pectora casta benigni
Vertant ad verum, perpetuumque bonum.
Nec tamen æquorum sunt incusanda deorum
Numina, vel fas est sorte dolere sua.
Fallimur ah quoties; quoniam fallacia pulchra
Nonnunquam specie sunt mala tecta boni.

Tyn-

Tyndaridem Phrygias Troianus pastor ad orus
Auehere, immensum credidit esse bonum.
Auexit tamen excidium, patriæque ruinam,
Qua pater, & fratres, mersus & ipse fuit.
Fatorum ignari, vitæ iactamur in vmbris;
Omnia fortunæ cæca libido regit.
Cura Deo tamen est nostri: dat sæpe petita;
Et, si sit nobis vtile, sæpe negat.
Jlle, quid expediat nobis, nostræque saluti,
Pernouit prudens, sollicitusque pater.
Non, quid natorum poscat turba inscia, spectat;
Sed, quid conducat, respicit ille pius.
Puluis, & vmbra sumus, bullæ similesque tumentis:
Pœne eadem est ortus, interitusque dies.
Tempora temporibus traduntur: pellitur æstas
Autumno: autumnum squalida pellit hiems.
Ver hiemem fugat; ast ipsum impellente fugatur
Æstate, ornatum floribus, atque rosis.
Ipse patrem trusi; trudet me natus: vt undam
Labentem trudit, pellit & vnda fluens.
Nuper eram puer; obrepsit male firma senectus:
Festinans properat mors pede certa cito.
Nil breuius vita; modo vita sit ista, tenemur
Qua pressi multis, perpetuisque malis:
Qua circumfusi tenebris erramus in vmbris,
Qua spes exagitat, qua metus, atque dolor.
Sunt ergo æternæ cælestia gaudia vitæ

Curanda; hac autem dispicienda breuis.
His ego sæpe tuas solor Peregrina querelas;
Et tergo flumen, quod rigat ora, tuum.
Nec tamen his possum nostros lenire dlores;
Tristia nec cura corda leuare graui.
Multa etenim subeunt nostros renouantia luctus,
Et nouus hic refricat vulnera prisca dolor.
Occurrit pater ereptus, dum versor in aula
Roma tua, & Gaddi me domus alta tenet.
Occurrit misero caræ genitricis imago,
Qua pia plus vnquam femina nulla fuit.
Cum me Parthenope, & Princeps Campanus haberet,
Non expectato est funere rapta parens.
Non iuui ægrotos; non verba nouissima dixi;
Mistaque cum lachrimis oscula nulla dedi.
Non licuit dulces audire, & reddere voces;
Non fungi officijs, muneribusque meis.
Non calidis vndis frigentia corpora laui:
Nec sunt magnifico iusta soluta mihi.
Quid referam ductam per mille pericula vitam?
Crebraque quid nullis tristia mista bonis?
Quid parcas, quid fata querar? quid sidera, & ipsam
Fortunam, stabiles in mea damna deos?
Quid detractorum narrem agmina pessima? læsit
Nostra tamen nullum lingua, manusque virum.
Excessi puer è patria; placuique fidelis
Delectis multis, principibusque viris.

Nemo

Nemo tamen fido quicquam est largitus amico:
Ingenium spretum est, est quoque spreta fides.
Nil me musarum cultus, nil iuuit egentem
Insignis probitas, nil amor, atque labor.
Siuerunt culti proceres laborare poetam,
Et non indoctum pauperiemque pati.
Discendi cupidum violenta coegit egestas
Tradere doctrinæ iura, viasque nouæ.
Illa compulsus Graias, musasque latinas
Edocui, insolitis verbaque prisca modis.
Anconem accitus capior sic vrbe vetusta,
Et portu egregio, præcipuoque sinu;
Vt iam pertæsus multos, magnosque labores,
Crediderim longis otia parta malis.
Vxorem duxi, non quam dos magna parauit;
Aut formæ eximiæ conciliauit amor.
Spectaui genus, & sanctos, castosque parentes,
Et Peregrina tuam cum probitate fidem.
Suscepi natam, qua non festiuior vlla,
Vlla nec in toto pulchrior orbe fuit.
Iam poteram felix dici, dicique beatus;
Si non nata patri tam cito rapta foret.
Fecisti, sed non dixti Francisca parentem:
Nouisti risu me tamen ipsa tuo.
Quo te fata vocant, mea sola, & magna voluptas?
Quo te (me miserum) mors inopina trahit?
Cui moriens mœstam matrem, patremq; relinquis?

Quo mea spes properas? quo mea vita fugis?
Quo risus abiere tui? quo pristina frontis
Lætitia? heu vultus forma, decusque perit.
Ut flos languescit curuo contusus aratro;
Sic languent oculi filia pulchra tui.
Quid me languidulis, quid matrem poscis ocellis,
Spectans luminibus lumina nostra tuis?
Fert tibi neuter opem: moreremur vterque libenter
Pro te; sed non id fata maligna sinunt.
Ne spernas comitem moriens mea nata parentem;
Quando non misero contigit esse duci.
Dulce fuit tecum mihi viuere; linquere tecum
Et dulce est terras, & mihi dulce mori.
Ne timeas: te nata pater comitabor euntem:
Est sine te nobis vita futura breuis.
Parua mora est; venio: festinant tempora; vita
Effugit: admissis labitur annus equis.
Non sine te viuam interea: tua dulcis imago
Fixa meo memori pectore semper erit.
Ante meos oculos semper versaberis: hora
Non ibit sine te; non fluet vlla dies.
Quin etiam, si quid poterunt mea carmina, vitæ
Adijciam vates secula multa breui.
Nomen erit Francisca tuum permagna camœnæ
Materies patriæ, Castalioq; choro.
Te mea musa canet; canet & quæcunque latinos
Terra tenet numeros, Ausoniosque modos.

Carmine

Carmine pensabo vitam: solatia nobis
Hæc non exigui magna doloris erunt.
Talia dum iacto; delapsa per æthera diuum
Agmina cantantum tollere ad astra parant.
Omnia tecum vna pereunt mea gaudia, nata;
Tecum blandiciæ, deliciæque meæ.
Tecum vna pereunt Charites; perit ipse Cupido;
Luget & extinctas mœsta Erycina faces.
Tecum vna nostræ, blandissima turba, camœnæ,
Lætitia, & risus, forma, iocusque perit.
Tu terris infans, magno comitante deorum
Agmine, decedens astra beata petis.
At nos in tenebris sine te, luctuque perenni
Conficimur lachrimis, orbaque turba sumus.

RELIQVVS *est, lector optime, hic septimus, idemq; extremus liber poematum Euangelistæ tui, quo Apologia continetur, qua ille & quæ sibi, dum Anconæ doceret eas artes, quibus pueritia, adolescentiaqı e ad humanitatem, eloquentiamque informatur, obijciebantur, & quæ obijci ijs, qui in eadem versantur palæstra, eodemque labore, solent, diluit: quæ quidem Apologia cum Firmi superioribus annis impressa fuisset, typographi vitio, inscitiaque multis referta erroribus, ad illamq; adiecta ab autore fuisset epistola ad Christophorum Boncompagnum eo tempore Anconæ Prætorem, nūc vero Archiepiscopum, Exarchumq; Rauennatem amplissimum,*

plissimum, cui Apologia dicabatur factum statim est, vt diuersa à diuersis & in epistola, & in poemate illo reprahensa sint; quibus quidem doctorũ hominum reprahensionibus licet ille vbi primum de ijs, quæ illo in opusculo damnata fuerant, certior factus est, responderit epistola quadam ad Bernardinum Straccham missa; tamen, quoniam, cum eam non edidisset epistolam, videri poterat illa, in quibus accusabatur, non diluisse, ideo voluit te hoc loco non legere Apologiam solum, epistolamque ad Boncompagnum, verum etiam & criminationes alienas, & suas responsiones inspicere, vt ex ijs quoque aliquid capias voluptatis, intelligasq; nihil tam recte dici, quod non audeat improbitas, audaciaq; criminari; idq; eo fecit libentius, quòd, dum se purgat, suaq; defendit, multa aperit, ac docet, scitu dignissima, quæ non paruam adolescentibus doctrinæ cupidis, & bonarum artium studiosis, si vulgarentur, allatura vtilitatis videbantur. Cum igitur videas illum tuæ tam libenter non voluptati modo, sed vtilitati quoque inseruire, humanitatis tuæ fuerit rem totam cognoscere, teq; illi æquum iudicem præbere, aut patrocinium potius suscipere non grauate hominis tui studiosissimi. Vale.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO, ATQVE EXCELLENTISS. PRINCIPI

CHRISTOPHORO Boncompagno.

Ioannes Baptista Euangelista S P.D.



ISI mihi perspecta foret singularis tua humanitas, beneuolentiaq; cum in cæteros omnes, tum in literarum potissimum studiosos minime vulgaris, ausus me hercle non fuissem, cum essem lusus quosdam nostros vulgaturus, traditurusque imprimendos, illis te patronum, defensoremque deligere: nam, cum mea omnia propter exiguitatem ingenij, eruditionisque exilitatem humiliora sint, quàm vt abs te, tuique similibus viris, principibusque legantur, tum hæc ipsa in primis, quam ad te mitto, tuoque nomini dico, Apologia propter rerum, de quibus agit, quasque continet, humilitatem sic humi serpit, vt indigna profectò sit, quæ abs te suscipiatur ne dum foueatur, ac probetur: audaciorem tamen me reddit admirabilis ista tua mansuetudo, qua sic ceteris principibus antecellis, sic cunctos,

qui

qui aliquo virtutis, aut doctrinæ splendore culti sunt, atque insignes, studiosè complecteris, vt mihi quoque, licet ignoto, atque obscuro homini spes allata, iniectaq; sit meum hoc àbs te munusculum nequaquam neglectum, ac contemptum iri: video enim te Deos, à quibus non longe abes, imitari: namque, vt illi non tam accuratis orantium precibus, quam innocentia, & sanctitate lætantur, gratioresque existimant, qui in templa puram, castamque mentem, quàm qui meditatam, luculentamq; orationem attulerunt, sic ego te non tam donantis dignitatem, aut pretiũ muneris video spectare solitum, quàm simplicitatem largientis, offerentisque, si minus quod te dignum sit, ac certe quod ipse maximum habet, quovè maximè suam in te beneuolentiam, obseruantiamque testetur: quis enim te non diligat? quis non obseruet? quis non omne ingenium, omnemque eruditionem suam conferat ad tuam dignitatem, quoquo pacto potest, ornandam, ac colendam? cum cernat in te tali, tantoque, qualis, quantusque es, effingendo, conformandoq; certasse naturam cum fortuna, fortunam cum virtute sic feliciter, vt, quæ vicerit, quæ victa sit, dubitari facilius possit, quàm explicari? quid habet fortuna maius, quàm principatum? quàm imperium? quid natura iucundius, quàm formam, & pulchritudinem corporis? quid virtus præstantius, atque optabilius, quàm immortalitatem, & gloriam? imperium nonne tibi delatum est tantum, vt, quo altius conscendas, nõ habeas? æquauit

te fors,

te sors, cum Gregorij optimi, maximique Pontificis nepotem fecit, maximo cuique Principi, ac Regi: aut etiam tanto te regibus omnibus anteire autoritate, atq; amplitudine voluit, quanto & ipse praestas cunctis ingenio, scientiaque bonarum artium, & Pontificis, cuius te magnitudo maximum fecit, maiestas reliquorum omnium supergressa est dignitates: verum, cum princeps duplex sit, alter fortuna, alter natura, & hic semper dignus, ille saepe indignus principatu, quo licet alter potiatur, alter careat, tamen, qui caret, maior, qui potitur, fortunatior sit, vterque vero imperet, sed alter domi, atque inter suos tantum, alter ubique, num te sortis tantum benignitas Principem fecit? an etiam naturae praestantia, meritumque singularis cuiusdam, & diuinae virtutis? nonne haec, quae vix in alijs posse coire, & coniungi videntur, in te sic coeunt, ac coniunguntur, vt iure ambigere, dubitareque possimus, vtra vtri siue comes, siue dux fuerit, virtus ne fortunae, an fortuna virtuti? nonne congesta certatim in te vnum utriusque munera eo maiora, gratioraque cernuntur, quòd adiecit illis natura eximiam oris speciem, admirabilem membrorum omnium uenustatem, egregiam corporis formam, plenam dignitatis, ac maiestatis, & ad tacitam quandam tui obseruantiam, uenerationemque uniuersos, à quibus uel semel uisus, conspectusque es, allicientem, atque compellentem? inest diuinum quiddam in oculis, inest in fronte, & ore heroicum nescio quid, quod uerbis

exprimi non potest, quodque humana specie maius, augustiusque videtur. Itaque ex hac, quæ apparet, tanta, tamque insigni cum vultus, tum reliquarum partium, corporisque totius venustate, & gratia, qualis tuus sit animus, intelligi non difficulter potest: cum enim natura neminem velit esse deceptum, viamque nobis ad latentia, atque obscura per ea, quæ perspicua sunt, munierit, in tacita vultus figura non dubia animorum signa collocauit, ac, quali quisque animo, ingenioque foret, ore prodidit, fronteque aperuit; vt, cum tale quisque corpus sortitus sit, qualem accepit animum, intelligamus, qui sunt deformes, eosdem esse & vitiosos, qui vero pulchri, illos ipsos esse item animo nobili, atque præstanti. Verum, cum certius, euidentiusque nos & sermones, & actiones, quales simus, ostendant, quod cuiusmodi cuiusque est oratio, & actio, eiusmodi est, & animus, nonne admirabilem esse tuam humanitatem humanissimi sermones tui, colloquiaque suauissima, plena facilitatis, ac mansuetudinis declarant? quis te semel adiuit? quis semel tantum allocutus est; qui non admiretur lenitatem; prædicet affabilitatem, comitatemque sermonis tui? quis vnquam à conspectu tuo tristis discessit? quis honestam rem petiuit, quam non impetrarit? quid est igitur, quod possit in te quisquam accusare? an fastidium adeuntium, salutantiumque neglectionem, ac despicientiam, fugamque molestiarum? quis te in audiendo patientior? in respondendo cum

do cum affabilior, tum prudentior? in salutando officiosior? in negotijs libenter cognoscendis, feliciterque extricandis, conficiendisque diligentior? an rerum gerendarum, imperijque administrandi inscitiam? dij immortales, quid te in eo genere maius, quid admirabilius, quid peritius, seu potius diuinius potest excogitari? an superstitionem, & aliquam siue veterum, siue nouarum impietatum, hæresumque labeculam? quis te hodie sanctior, quis religiosior viuit in terris? an literarum, artiumque ingenuarum ignorantiam? quis cum omnium disciplinarum, tum in primis iuris vtriusque peritior? quis omnium legum cognitione, totiusque antiquitatis scientia maior? Quamobrem, si verum est, quod Plato prodidit, tunc beatas fore ciuitates, cum aut sapientes illis præessent, aut, qui præsunt, sapientiæ studijs operam darent, non ne Ancona, quoniam à te, qui sapientissimus es, regitur, beatissima sit, oportet? Dabis mihi veniam, humanissime Princeps, si, dum te, raptus, compulsusque virtutum tuarum magnitudine, laudare cupio, non tam, quid aures tuæ pati possint, quam quid meritis tuis debeatur, considero: adeo enim spectata est iustitia, prudentia, fides, æquitas, temperantia, cæteraque virtutes tuæ, vt mihi verendum sit, non ne videar adulari, teque falsis laudibus cumulare, sed ne commendatio tua mea potius infantia diminuta videatur: quid namque falsa conquiram, vt te exornem, cum tam multa vera sint,

quæ de te dici possunt, vt ego ne perstringendis quidem illis, nedum amplificandis dicendo par sim? An non ad ceteras laudes tuas veluti magnus quidam cumulus accedit, quòd te patruus, idemque Pontifex Anconitanæ Coloniæ præesse voluit? hoc quanti sit, vel ex eo licet intelligere, quòd cum duæ sint Romanæ, Pontificiæque ditionis ciuitates, Bononia, atque Ancona, altera studiosorum, altera mercatorum domicilium, emporiumque, illa literarum, hæc mercium, quæ ex diuersis orientis partibus, ac gentibus ad nos comportantur, vtraque propugnaculum, sed illa contra Transalpinas, hæc contra transmarinas nationes, princepsque altera Æmiliæ, Piceni altera, eo tamen Bononia cum maior, tum fælicior, quòd genuit, aluit, instituit hunc, per quem nos Pontificem felices sumus, has potissimum ciuitates beatissimus, sanctissimusque patruus tuus ornare, decorareque cum instituisset, quòd nullum ornamentum, nullum decus illis cum maius, tum iucundius, ac gratius futurum sentiebat, quàm si, cum ipsi non liceret illis adesse, præsentemque præsentibus consulere, suos illis præficeret, quos carissimos habuit, fratrem, atque nepotem, illum Bononiæ, te vero Anconæ esse iussit: In quo meo quidem iudicio, etsi tibi, tuisque rationibus egregiè consultum, prouisumque est, quod non modo pacatam, ac tranquillam, sed etiam officiosam, ac perbeneuolam, & si quid etiam ad rem facit, opulentam, ac celeberrimam ciuitatem gerendam, gubernandamq;

acce-

accepisti, multo tamen (vt dicam, quod sentio, liberius) nobiscum præclarius actum est, quòd beatissimus ille senex nos tibi commisit, quòd te potissimum legit, qui nostris vtilitatibus, ac commodis inseruires, qui nobis creditus intra nostros parietes versareris, nobiscumq; viueres, nosque faceres meliores: missus namque ad nos, optime Princeps & à Pontifice, aut potius ab ipso Deo, cuius certissimo numine Pontifex regitur, cum vt grauem illius ætatem aliqua curarum parte leuares, tum vt sanctissimi mores tui, vitæque castitas, atque integritas, ceteræque virtutes illæ tuæ plus, quàm humanæ, plus etiam, quàm heroicæ nobis, aut potius vniuersis orbis nationibus non solum notæ, ac perspectæ forent, sed etiam exemplo essent expositæ: cum enim non tam imperio regantur, moueanturque homines, quàm exemplo, nobis propositus es, non tam vt nos coerceres, atque à vitijs, libidinibusque metu pœnæ, supplicijque deterreres, quam ut nos tui similes faceres, compelleresque ad imitationem tui, non ut te quisquam imitando, idest bene, laudabiliterque agendo (quod fieri nequit) assequatur, sed vt quisque intelligat eò se propius ad virtutem accessisse, quoad te propius accessit. Nullo me hercule in foro poteras versari splendidius, nullo in theatro cerni, audirique, quæcunque faceres, diceresque illustrius, quàm Anconæ: nam, cum huc negotiandi causa omnes cum nostræ, atque Italicæ, tum externæ, remotioresque nationes conueniant, ac confluant, neque

virtus,

virtus, neque vitium eius, qui Anconæ degit, præsertim si Paulo sit illustriore fortuna, latere potest. Es igitur in celeberrima vrbe, tanquam in specula collocatus, vnde dicta, factaque tua singula à multis excepta, atque notata in omnes statim prouincias ferantur, vniuersumque orbem peruagentur, ac percurrant, tibique cum caritatem populorum, ac gentium cunctarum concilient, & obseruantiam comparent, tum ad tui admirationem, cultumque vniuersos mortales alliciant; atq; compellant. Sed de tuis & virtutibus, & laudibus dabitur commodior dicendi locus, cum grauiores libros, ac vigilias nostras, quas nunc concinnamus, tui nominis scuto protectas edemus. Nunc, quòd ad Apologiam pertinet, scito me illam paucis his diebus, quibus de proroganda mihi in alterum annum hac molestissima docendi prouincia in Anconitano Senatu dubitatum, certatumque est, confecisse, atque absoluisse, non tam vt ipse me excusarem, in quibus à nonnullis accusabar, obiectaque purgarem, quam vt, quæcunque ijs, qui in eodem labore, eademque quasi palæstra versantur, obijci & possunt, & solent, dum diluerem, docerem, non solum qui finis propositus esse debeat ijs, qui pueros, adolescentesque instituendos, erudiendosque susceperunt, verum etiam quot, ac quæ artes, scientiæque, ac linguæ illis demonstrandæ sint, quo ordine in docendo vtendum, primaque illa rudimenta grammaticæ à melioribus, an ab imperitioribus magistris felicius percipiantur, ac discantur.

discantur. Hæc, atque alia eiuscemodi multa non iniucunda, neque inutilia scitu in hoc opusculum, poemaq; conieci, eo animo, non vt cuiusquam nomen perstringerem, Horatiumque imitatus in ea; quam ad Augustum conscribit, epistola, Anconitanos tuos, meosque de me optime meritos vlla in re offenderem, sed ut studiosis meo labore prodessem cum omnibus, tum ijs in primis, qui in laboriosissimo hoc docendi munere insudant, atque in hac humiliore, sed non negligenda tamen Reip. parte curanda, gerendaque versantur, ac laborant. Quæ si tibi, cui potissimum placere studeo, probari cognouero, pergam alacrior ad reliqua. Interea vale, Ioannemq; Baptistam tui nominis studiosissimum tuorum si minus familiarium, saltem seruorum numero ascribi ne grauate quæso feras, neuè tuo indignum patrocinio iudices, parcasque, si tantulo operi longiorem, quàm decuit, epistolam affixi, teque pluribus, quàm oportuit, allocutus sum. Ancona. 6. id. Maij.

S. P. Q.

S. P. Q. Anconitano salutem, & fęlicitatis incrementum.

INGENVI *pueri, quæ sint ratione docendi,*
Versibus his paucis discere quisque potest.
Quæ præceptorem deceant, Baptista Ioannes
Publicus, ecce tua doctor in vrbe docet.
Romuleæ, Argiuæ cultor, Tuscæque Mineruæ
Insignis quam sit, metra diserta probant.
Artificem pubis feliciter instituendæ
Hunc nulli mirum non patet esse virum.
Ante tibi carus, nunc sit carissimus, Ancon,
Est cuius virtus nunc patefacta magis.
Præmia pro tanto debentur magna labore,
Est satis autori sed placuisse bonis;
Thesauris hunc adde tuis Ancona libellum;
Omnibus hic gemmis anteferendus erit.
Virtutes, moresque bonos nam continet omnes,
Nil debet populo carius esse tuo.
Discipuli hæc discant, & dogmata sancta magistri:
Vtilius nihil his omnibus esse potest.
Autorem meritis fraudo sed laudibus, ergo
Carminibus melius se canat ipse suis.

Seruulus deditissimus, licet incognitus
Octauianus Humilis Patrigenas.

A BEN-

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTAE POEMATVM.

LIBER SEPTIMVS.

A Benuenutum Straccham Patricium Anconitanum virum Iurisconsultissimum.



TRACCHA *per Ausonias fama celeberrime gentes,*
Qui vel Cecropium iure, ingenioq; Soloxam,
Dictæumq; senem, Lacedæmoniumque Lycurgum,
Romanumq; Numam longe, me iudice, vincis,
Est mihi mens tecum properanti carmine quædam
Conferre, in quibus ipse tuis sanctisque bonisque
Ciuibus accusor nonnullis; cognita nostra
Ut perspecta satis fuerit eum causa probato,
Consultoque tibi, & iuris, legumque perito,
Sis mihi vel iudex, vel (quod magis opto) patronus.
Quam sis ingenio magnus, quam candidus, omnis
Expers inuidiæ, quam sano, acrique per omnes
Artes iudicio noui: magis omnibus vni
Si tibi facundus Doctor, sanctusque probari
Percupio, incensusque tuæ sum laudis amore,

Mm *Quod*

Quod mireris, habes nihil : hic tu suscipe, totum
Qui tibi se tradit paruumque, humilemque clientem.
Atque hæc, quæ dolor impellit modo scribere, nostræ
Pignus amicitiæ, facies æquique, bonique;
Omniaque accipies animo, vultuque sereno.
Ac, dum me purgo, & nostrum ius carmine inerti
Persequor, attentas præbe mihi sedulus aures.
Dicam aliquid studijs de magnis, deque docendi
More meo, ac de grammaticis, rebusque latinis,
Munere deque omni sancti, castique magistri.
Tendit homo (vt nosti) mortali ex corpore, mente
Ex summa, & verè diuina cretus, ad illam
Felicem, extremam, rerum metamque beatam
Moribus, & studijs; mos, & doctrina magistris
Percipitur; tradunt pueris elementa beatæ
Doctores vitæ. Sed nos de moribus infrà.
Nunc de doctrina. In partes sapientia cuncta
Scissa duas, curat mores, vrbemque, domumque;
Virtutem, vitiumque docet; secernit honestis
Turpia; quæ fugias, proponens, quæque sequaris:
Vnde parentur opes; & qua ratione tueri
Parta queas, quo iure vxor tractetur, herique
Quale sit imperium in seruos, & quanta potestas
In natos patris, vtatur qua lege tyrannus,
Qua Rex; quovè modo respublica cuncta geratur
Siue domi, seu militiæ: nam iura vocatis
Dat populis; bellumq; infert, aut arcet ab vrbe.

Atque

Atque hæc, quæ in medijs rebus versatur agendis,
Doctrina proprio prudentia nomine fertur.
Altera, quæ vero, & certo sapientia verbo
Dicitur, in rebus speculandis fixa, latentes
Aut quærit causas naturæ; aut omnia quanti
Rimatur genera; & terram metita, polumque,
Astrorumque ortus, obitusque obseruat; & ipsas
Obscuras numeri rationes dispicit omnes;
Inter se confert; atque acri indagine quærit,
Quæ sit collatis vis, & cognatio quanta.
Aut, his neglectis, sese ad diuina, deosque
Erigit, & lætis fertur super æthera pennis.
Ac veluti illa petit doctrina in rebus agendis
Sola bonum, hocque sibi statuit prudentia finem;
Sic celsa exposcit tantum sapientia verum;
Vtraque nempe Deum verique, bonique parentem;
Aut ipsum potius summum verumque, bonumque.
His mens culta nitet; gaudens fruiturq; Deorum
Concilio; alloquitur superos; mortalia temnit,
Diuinis inhians; crateras nectare plenos
Ebibit, ambrosiam dulci depascitur ore.
Rerum cognitio his cunctis perfecta tenetur.
Sunt artes aliæ positæ in ratione loquendi,
Quæ grauiter linguam exornant, redduntq; disertam.
Hæc à grammaticis doctrina exorsa poetas
Instruit; ornandi, disceptandiq; potentes,
Egregiasque artes aperit, facundaq; verba.

Omnibus his studijs quidam pulcherrimus orbis
Perficitur; constat, gaudetque humana camœna,
Humanos animos, mansuetaque pectora reddens.
Non tamen has omnes ludi docuere magistri
Doctrinas: nam, quas prudens, sapiensque docetur,
Socraticæ ostendunt chartæ: res inde petantur.
Nos sumus artifices verborum, & quatuor illas
Tradimus insignes artes; primumq́, docemus
Omnes sermonis leges, & iura latini:
Hinc Aganippæos fontes monstramus, & vndas
Castalias, sanctos informamusque poetas:
Quodlibet inde genus causæ versamus, & arte
Qua sit conscriptus, qua iudex, quavè Quirites
Tractandi, & quo sint animi sermone mouendi,
Percipit ex nobis orator summus, & acer.
Mox & quo pacto à falsis secernere vera
Possimus, genera, & formas cognoscere, & omni
De re proposita concludere singula rectè,
Pandimus, atque argumenti formasque, modosque
Persequimur: nostri est meta hæc extrema laboris.
Quæ non qui tradit, sed qui non tradit, aberrat.
Quondam grammaticus sua munera obire paratus,
Sermones puros, & verba latina docebat,
Et satis ipse suo officio factum esse putabat,
Si linguæ Ausoniæ vitasset Barbara Doctor.
Qui namque eloquij cultus, numerosque doceret,
Rector erat: sicque hic præceptor dicere norat,

Vt

Vt norat tantum ille loqui, cum luderet arcta
In re, materia caneret grauiore poeta.
Verum grammaticus duplici nunc fasce grauatur,
Rhetoris, atque suo: nam, quæ disiuncta fuere
Munera, posterior coniunxit cura nepotum.
Et quoniam sermo incedit connexior alter,
Alter liberior, nulloque ligamine vinctus,
Atque illum veteres proprium sumpsere poetæ,
Idem sermonem demonstret vtrunque magister,
Ambasque eloquij partes, formasque necesse est.
Quòd nisi grammaticus præcepta poetica tradat,
Metrorum iura ostendat, doceatque penates
Aonios, leges imitandi pandat, & omnes
Fingendi, & delectandi normasque, modosque
Demonstret, reseretque lares, laticesque propinet
Pegasides pueris vestros, muscoque virentes
Edoceat fontes, nemo est, qui Helicona petentes
Adiuuet, & molli passu perducat ad arces
Pierias, doctus iuuenilia tempora lauro
Ornet, & insignes vernanti flore coronet.
Sic fonte ex vno, ludoque effluxit eodem
Grammaticus, Rhetor, maiorque vtroque poeta,
Et tribus his veri iudex argutior ore.
Nam possunt nullam sermonis omittere formam,
Qui genus eloquij totum sumpsere docendum;
Quodq; etiam loquitur, qui à falsis vera reuellit,
Idem hunc instituit doctor, formatque magister.

Hæc

Hæc nobis docti iuuenes grauiora capessunt
Hinc studia; & passim sapientum tecta frequentant.
Vt prudens tradit mores; vrbemquem domumque
Componit; sapiens naturam, & quanta tuetur;
Et diuina animo complectitur omnia celso;
Eloquium debet sic omne docere disertus.
Non illi gracilem fandi, tenuemque loquendi
Ignorare licet rationem, artemque latinam:
Primum elementa docens, cunctas vocesque sonosque.
Monstrabit, tradetque modum, quo quæque peritè
Syllaba vincitur; mox verba docebit, & omnes
Verborumque potestates, viresque, notasque,
Naturasque sagax; tum verbis nectere cautè
Verba laborabit; purè, & sine labe loquetur.
Hinc & finitimam recti, prauique videndi,
Et veri, falsique simul normamque, viamque
Noscendi ostendet; præeant tum, quæque sequantur,
Differet; & nunc fallaci ratione, modoque
Captanti imponet iuuenem, illudetque sophista;
Nunc verum studio fidus sectabitur acri;
Et, quæ proponet, coget nos credere firma,
Et stabili sermone; fidem rebusque parabit
Constantem; veris nunc proxima quæret acuto
Iudicio; inueniet solers; inuenta probabit.
Post risus comicos, luctus, tragicasque querelas
Et lyricos cantare modos; satyrosque procaces,
Erroresque hominum fando damnare licenter

Mor-

Mordaci audebit versu grauis, atque seuerus.
Martia bella canet; regum, heroumque, ducumque
Complexus gesta, errores, longosque labores,
Et varios casus, diuersa pericula, pugnas,
Castra, acies, pedites, equites, lectasque cateruas
Miscebit; referetque sonans, grandisque poeta
In media demum comptus, dulcisque corona
Verba foro orator faciet, populoque frequenti
Virtutesque hominum ostendet, laudesque bonorum:
Aut sermone graui de bello, & pace senatum,
De lege; annona, & lecto regione tuenda
Milite, quærendoque auro, argentoque docebit.
Aut in iudicijs cautus, prudensque disertè
De vita dicet; de fortunisque loquetur;
Defendetque bonos, auctos cumulabit honore:
Suadendique potens, cultè fandique peritus,
Quæ dicet, referet cuncta ad motumque, fidemque.
At non hoc alij præstant, faciuntque magistri,
Dicet forte aliquis: causa est, quòd cernere rectum,
Atque id, quod deceat, pauci potuere; voluntque
Omnes, cum possunt, homines vitare laborem.
Multos, ne possint, premit ignorantia; multos,
Qui possent, turpis deterret inertia; sicque
Aut nemo, aut pauci rectè docuere magistri.
Sed tamen ipsa monet ratio, & natura docendum
Sic esse; atque artes omnes debere iugari
Germanas, eadem quibus est subiecta loquendi

Materia,

Materia, & quas propterea dixere disertas.
Hic nobis mos, hæc moris ratioque docendi.
Quem qui non sequitur morem, mihi quippe videtur
Errare, & recta longe ratione relinqui.
At mos à multis, & noster carpitur vsus;
Et quanquam rectus, paucis tamen ille probatur.
Causa est, quòd pauci docti, paucique periti,
Ignari multi, quorum dementia tanta est,
Vt credant nihil esse aliud rectumque, bonumque,
Quàm quod visum ipsis fuerit, fueritque probatum;
Et certum, firmamque putant, formamq; modumq;
Discendi, quo ipsi pueri didicere; magistri
Omnia scisse sui, nos ignorare videmur:
Non aliam laudant rationem, artemque docendi,
Quàm qua sunt homines vsi rudioribus annis,
Tunc, cum priscorum sermo pollutus, & alta
Barbarie oppressus, fœdusque, atque vndique multa
Obsitus illuuie, cultu, & splendore carebat;
Cum pulchrum Latium, permultis cladibus, atque
Bellorum crebris terroribus, atque ruinis
Conuulsum, oblitumque sui, decorisque vetusti,
Squallebat, nullis excultum moribus, atque
Artibus & Græcis, & priscis, atque latinis.
Quisque suum laudat senior, tollitque magistrum;
Quaque ille est vsus doctrina, hanc iactat; ad astra
Euehit hanc; alios odit, spernitq; docentes.
Quisque etenim mauult, quàm discere, scire videri.

Si

Si solus, vel cum paucis video, atque capesso,
Ingrediorque viam rectam; cum cetera aberret
Turba hominum, nostrum cur lingua ignaua reprendat
Rectum iter, & callem fidum, atque errore carentem?
Scilicet hic populi mos est, vt nescius illa
Damnet, quæ ignorat; quæ nescit, prædicet idem.
Doctrinam, vt probrum obijciunt, vitioque docenti
Grammatico ascribunt, quòd multa, & maxima noscat;
A rudibus meliusque putant elementa doceri.
An non hos falli Macedum Rex ipse Philippus
Admonet, infanti magna mercede magistrum
Junxit Aristotelem qui nato in tecta vocatum?
Nonne eadem, quæ doctores præstare minores
Possunt, maiores melius potuere magistri
Efficere? an magnum qui pondus ferre valebit,
Non poterit paruum? num qui maiora gubernat
Nauigia, in portum incolumen perducere cymbam
Te minus aptus erit? medicus grauiora peritus
Vulnera curabit, verum leuiora nequibit?
Straccha igitur Romæ dum Vaticana disertè
Narrantem patriæ stupet aula benigna metusque,
Terroresque tuos; non credendamq; remotis,
Externisque viris hominumque, vrbisque salutem
Demonstras, præbet facilesque Gregorius aures
Ipse tuis verbis, suffragia pauca potentum
Interea expellent veterem, fidumque sodalem?
Atque tibi eripient curarum dulce leuamen?

Et magnum paruo priuabunt sæua cliente?
Doctorem patriæ, præceptoremque tuorum
Extrusum non ne accipies tristisvè, dolensuè
Non nos suspicio perstringit criminis vlla:
Viximus innocui: sed obest, quòd nona docentem
Vtiliter donec me Anconæ conspicit æstas,
Complures iuuenes perdocta Bononia nostros
Edocet; edocuit multos Antennoris olim
Vrbs antiqua; fuit dum felix, atque salubris,
Quòd plures Perusina tenet doctrina meorum.
Hæccine soluuntur meritis stipendia nostris?
Pellar ob ingenium Ancona? doctrina nocebit
Sæua mihi, reliquos quæ semper iuuit, & auxit?
Audebunt sanctumque virum, doctumque magistrum
Exilio multare patres? liuore trahentur,
Inuideant natis vt præstantissima rerum
Dona suis? veteres Ancona oblita Pelasgos,
Et Dores prauos, extrudet finibus artes
Eximias? an non mecum sapientia pulsa
Mœnia detestans ingrata deseret vrbis?
Exiliumque humilis comitabitur acta clientis?
Ergo tot in cassum fusos patiere labores
Straccha meos? post tot pueros, iuuenesque suprema
Cura à me doctos, & missos nuper ad vrbes
Præclaris studijs celebres, vt iura Quiritium
Cognoscant, labe insigni, maculaque notabor?
Hocque feres iuris prudens, princepsque Senatus?

Quæ-

Quaerenti ex nobis, cur Dorica truserit Ancon
Ipsa suum insontem, non ignarumq; magistrum
Quid respondebo extorris? dicam ne peritis
Esse locum nullum Ancona? pellique docentem,
Quòd doctus nimium, nimium sanctusque putetur?
Turpe erit hoc nobis, an ciuibus, atque nocenti
Straccha tuae patriae? nil namque nocentius, vrbe
Quàm fidos homines, doctores pellere castos?
Ergo iuuentutis triuiali cura magistro
Mandetur, placeatque rudis; stultusque probetur,
Finibus Anconae sapiens si truditur insons.
Quanquam, cur sapiens credar, dicarque peritis,
Nulla quidem ratio est; cum plura incognita multo
(Vera etenim fatear) quàm sint mihi cognita: praestat
Cura, labor, studium, vt videar non turdus, habesq;
Conscius ipse mihi, quam sim tenui, atque pusilla
Doctrina, in coetu taceo, doctaq; corona.
Semper enim timeo, ne peccem; nevè loquendo
Lingua animi inscitiam rudioris detegat infans.
Nonne humile hoc aperit carmen, quod numine nullo
Fundimus afflati, cultu mea scripta carere?
Et nullam redolere grauem, magnamque lucernam?
Hinc fit, vt inuitus doceam, doceamque coactus,
Discere qui mallem; quod oportet scire docentem
Omnia, diuersas, & summas isse per artes.
Nam, qui non magno ingenio est, magnisq; peritus
Artibus, ille nequit doctrinae cernere finem,

Quo referat, quæcunque docet; quo fine latente,
Ipsam etiam ignotam eße viam, atque latere necesse est.
Num foret à Grais iudex, criticusque vocatus
Grammaticus, tantum si prima elementa teneret?
Cætera nesciret? num pandere posse Maronem
Credis eum, qui non doctrinas nouerit omnes?
Non ego pro multis, magnisque laboribus vllam
Mercedem peto maiorem, ne plura doceri
A nobis credas, maiora vt præmia soluant
Discipuli; mercede vna cum discere possis
Complures artes, cur malis percipere vnam,
Nescio, præcipuè prognatus ad omnia cum sis
Percipienda, quibus natura humana ferarum
A vita distat, diuosque accedit ad ipsos.
Si satis vna foret tantum doctrina, repertæ
Tot cur extarent artes magnæque, grauesque,
Præter grammaticam? cur ipsis tradita diuis
Mens homini diuina foret, qua noscere cuncta
Posset, præpetibusque alis ad sidera ferri?
Dices non esse ingenium puerile paratum,
Aptumque ad studia hæc grauiora, quòd illa doceri
Non nisi parua potest ætas. Est scilicet omni
In re certa via, & ratio, finisque, modusque.
Non ego, qua ludum puer est ingreßus, eadem
Magna die tenero monstrabo, & grandia tradam;
Nec molles humeros imprudens, mollia terga,
Quàm quem ferre potest, maiori fasce grauabo.

Vasa

Vasa ore angusto paulatim implentur; at vndam
Si super infundas multam, magnamque, videbis
Vndique diffluere humorem, lymphisque carere
Inuersi inspersis arentia viscera gutti.
Sic animos pueri, fuerint si tempore cuncta
Tradita quæque suo, docilisque, memorque per omnes
Artes ducetur nullo discrimine tutus.
Quisque suo modulo doctus, non segnis, inersque
Aut erit, aut oneri pressus succumbet iniquo.
Quod si non esset discendis commoda rebus,
Et verbis mens illa tenax, ætasque fidelis,
Non peteret doctos puerilis turba magistros.
Sed tibi, vir sapiens, quòd Græca, Etrusca, latina
Edoceam, monstremque simul, non forte probatur,
Quòd tres diuersas tradi vno tempore linguas
Non bene posse putas; nimio puerique grauari
Pondere mollem animum reris, mentemque tenellam.
Hunc ego næ triplicem possem vitare laborem,
Nulla expectantem præsertim præmia, nullam.
Captantem laudem: verum Rex, atque magister,
Et pater, & pastor non vtilitate mouentur
Quippe sua; sed sese obliti, aliena sequuntur
Commoda; non fugiunt curas; non tædia vitant,
Vt prosint, nati ad mortales vsque iuuandos.
Græca autem doceo, quanquam Romana professus,
Et linguam latiam, quoniam nouisse latina,
Qui non Græca tenet, non recte, & dicere verè
Possumus,

Possumus, ex Graio pendet quia sermo latinus.
Cogimur his autem Tuscas coniungere musas,
Quod nostram turpe est florentem spernere linguam,
Externas cum discamus, quas tempus ademit.
Vt nulla ratione potest sermone carere.
Cecropio, & Danais rebus, verbisque latinus
Grammaticus; quoniam ex medijs venere Mycenis
Cunctæ artes Romam; multas sicumque tulerunt
Argolicas voces, & plurima nomina rerum;
Sic, si discipulus fuerit tibi traditus, vnam
Qui teneat linguam Etruscam, Tyrrhenaque verba,
Hac nisi perdoceas lingua, tua cura peribit.
Et, quoniam, ne erres, sed cum ratione loquaris,
Non satis est vsus, qui linguam callet Etruscam
Haustam cum lacte, atque vsu tantum modo vulgi,
Grammaticam is noscat, tutusque loquatur eandem.
Atque hoc est causæ, cur coniungenda latino
Eloquio sit cognitio sermonis Etrusci.
Non se autem hæ linguæ impediunt, si tempore eodem
Tradantur; verum hæc illam iuuat, & simul omnes
Noscuntur melius, melius quoque singula eodem
Cernimus obtutu, atque oculis subiecta videmus.
Nec triplicis linguæ discendæ cura, laborque
Obruit ingenium pueri, doctrina sed illa
Exacuit docilem mentem varia, atque fidelis.
Fama etiam nostras tenuis peruenit ad aures,
Esse aliquos, qui indignentur, quòd voce latini

Ser-

Sermonis præcepta sequar, tradamque, nec vlla
Grammaticum pueros monumenta ediscere cogam.
Elingues igitur stultus, mutosque magistros
Præponam voci viuæ? non fecit & istud
Magnus Aristoteles doctor? non turba sophorum
Gallica? nonne eadem sentis, scribisque Manuti
Alde pater, doctorque virum, splendorque nepotum?
Cum primum Gallus nostras accedit ad oras,
Exoptans Italum eloquium cognoscere, voces
Discere nostrates; num verba ediscit Etrusci
Grammatici? nescire igitur sine crimine doctor
Quæ valet, hæc puerum non ignorare licebit?
Nam, quis grammatici, quem narrat, & explicat, atq;
Quo in ludo est vsus tanquam duce, & auspice, voces,
Sermones, & verba tenet? fidusque, memorque
Præceptor recitare potest præcepta Varini?
Aut se Cantalici scriptis addicere? fœdo,
Sordenti que animo monumenta insculpere? & ore
Illoto leges, & dogmata vana referre?
Non, quæ commissa est chartis, doctrina iuuabit;
Sed quæ fixa animo manet alta mente reposta:
An non scripturus obliuia gignere certum est?
Excidit ex animo, quod libro creditur, illo
Fidimus immemores: scribendi nescius hinc fit,
Vt percepta semel teneat firmissima mente.
Ergo mihi ediscat non barbara verba coactus
Grammatici puer insulsi, sed sensa fideli

Pectore

Pectore contineat docilis: nam dogmata nouit,
Romanas leges, & iura latina loquendi,
Non qui verba tenet, præceptaque singula ineptus
Edidicit, sed qui memori res pectore gestat,
Impressasque animo normas complectitur omnes
Verborum, eloquij partes, & membra peritè
Insculpsit menti, vires cognouit & artis.
Ipse tamen Vallæ culti monumenta frequenter
Enarro: sed discipulis & ductor, & auspex
Ipse in grammaticis rebus, rebusque latinis
Esse volo; quando hæc non sunt incognita nobis.
Qui non ferre potest vsum, moremque docendi
Hunc nostrum, non me accersat: qui credidit autem
Natum, vel fratrem, sinat is me cuncta docere,
Vt libet; ipsius mercedis cura sit vna
Soluendæ, fidei committat cætera nostræ.
At, qui doctrinæ, & nostro diffidit amori,
Non mihi præscribat leges, & iura docendi,
Sed vitet ad nostrum natos accedere ludum
Ipse suos; pueris doctoremque eligat illum,
Cui fidit, cuiusque placet sapientia docti.
Conferet vt medicus, non qui doctissimus, ægro
Sed qui gratus erit; sic, quæ doctrina probatur,
Vtilis est; multumque iuuat præceptor amatus.
Vos, quibus est pergrata salus, pergrataq; vita
Natorum, primum sanctos optate magistros,
Mox doctos: morum sit princeps cura bonorum:

Do-

Doctrinæque grauem, & sanctam proponite vitam.
Nam virtus aperit cælum, moresque probati,
At doctrina iuuat, si cum virtute iugata est
Illa quidem multum; multum, si auulsa, nocebit.
Omnis, iudicio est nostro sapientia inanis,
Ad iustè, & rectè quæ non confertur agendum;
Quæque ignaua situ, pædoreque senta, tenebras
Diligit; & cæcis elata tumescit in vmbris;
Otia sectatur; syluas, mollesque recessus
Quærit; ab vrbe procul menses traducit inertes;
Non Martem sequitur; non se ciuilibus vllis
Implicat officijs; nullam mortalibus ægris
Præstat opem; non illa docet, monstratque beatæ
(Quod licet, atque potest) felicia munera vitæ.
Omnia scit, magni qui nouit adire tonantis
Aetheriasque domos, atque aurea tecta Deorum
Iustitia; virtute, fide, gestisque superbis.
Verum, qui ignorat, qua semita aditur olympus
Fulgens sideribus; quæ sit ratioque, modusque,
Quo liceat superum alloquio, lætisque potiri
Cælituum mensis, epulisque accumbere diuum,
Ambrosiaque frui, sunt illi incognita cuncta.
Est animi, & morum, haud linguæ ingenijque beati
Cultus doctrina; non est verbosa; nec oris
Illecebras curat tantum, tantumque latentes
Naturæ causas rimatur: opusque, laborque
Illius in primis est, vt componat, agatque

Luctantes animi motus; mentesque serenet;
Nubila discutiat; tranquillaque pectora reddat.
Quapropter, qui vir pueros, iuuenesque docendos
Suscepit; traditq; artes; moresque vetustos
Monstrat; & enarrat Graecos, nostrosque poetas;
Ad linguam, atq; animum referat, dextramq; regendam
Omnia; non alios credat, dicatq; beatos,
Quàm qui pro patria multos magnosq; labores,
Ingentes curas, discrimina mille subire,
Et voluere suis pro ciuibus omnia ferre
Aduersa, in flammas contendere, vulnera laeti
Saeua pati. Nactus talem, tantumq; magistrum
Cum nato pater obseruet, veneretur, adoret;
Seq; suumq; illi puerum committat, agatq;
Securus; pueroq; patrem putet esse docentem:
Si doctus fuerit, non ille errabit; habebit
Discentis notum ingenium; tantumq; docebit,
Quantum animo ille sequi poterit; monstrabit & illa,
Quae sint discipuli naturae accommoda; vires
Non grauitate premi sinet, aut languescere segnes.
Aiunt quin etiam me carpi, cuncta peritè
Quod nimium tractem; exponam quòd singula doctè,
Quod nil simpliciter, crassaque, rudiq; Minerua.
Quod mihi qui obiectat, non se pugnantia sentit
Ille loqui; doctus si sum (quod credere de me
Non libet, aut fas est; quoniam contriuimus aula
Aetatem claris studijs, atque artibus aptam)

Verum,

Verum, si (quæ de nobis sententia vestra est)
Sum sapiens; falli non possum; accommodo nostram
Doctrinam ingenijs discentum; & singula planè
Sic doceo, vt, quæ quisque docetur, cuncta referre
Quærenti possit percepta, & cognita docto
Mente viro memori, si attentas præbeat aures.
Quòd si dicentes tenebras sectamur, & vmbras;
Obscurique sumus; cæcaque inuoluimus artes
Nocte, perantiquis nimium sermonibus vsi,
Quo nostrum ingenium maius videatur; & omnes
Doctrinam stupeant; genus ignotumq; loquendi
Mirentur; non ne est risu sapientia nostra,
Vel potius pœna, & persæuo robore digna?
Non est hoc (mihi crede) artes aperire, sed illos
Fallere, quos doceas, & verè prodere, cantu,
Atque veneficijs magicis eludere; tali
Vtantur Getici iuuenes, Scythiciq; magistro.
Siccine me ambitio impellet, trudetq; docentem,
Vt captare velim nubes, & inania? verbis
Insolitis strepere? inflatus, tumidusque superbo,
Monstrosoque animis sermone imponere? resque
Effutire graues? vt nullo grandia fructu,
Aut potius magno cum damno quærere? sicque
Deuia sectabor, non explorare meorum
Ut curem vires iuuenum? & quæ ferre recusent,
Quæ valeant, noscam? vt pueris maiora tenellis,
Seu plura instillem? vel iniquo pondere mergam,

Cornici similis? fertur voluisse volare
Quæ pullos, natosque suos in plumibus alis;
Quos nido extrusos sic rostro, atque vnguibus actos
Impulit aeria de quercu; vt corpora glabra
Sint illisa solo, subitaque extincta ruina.
Quis doctrinā vnquam in doctore reprendere quenquam
Audijt? aut præceptorem damnare disertum?
Si placet indoctus, stultusque magister, & infans,
Delige de triuio, & populi de fæce docentem:
Quæq; dabunt tales doctores compita passim.
Tam facilè occurrat doctus, quam semper habebis
Indoctos homines, tardos, segnesque magistros.
O mores hominum prauos, ò tempora nostra
Perdita, queis vitio doctrina ascribitur, atque
Ingenium, officium, labor, & pia cura docendi:
Contra priscorum felicia secula, quando
Turpe putabatur nescire, at scire decorum,
Discere præclarum, egregium, pulchrumq; docere.
Nunc, cum ter quinos puer est prouectus ad annos,
Ire ad doctorem pudet, atque audita referre,
A socijs discens indignaturque vocari.
At vero humanas artes, rerumque docente
Principia illarum, quibus informata iuuentus,
Atque imbuta, Deos timet, & veneratur; honesti
Ducitur illustri specie, & retinetur amore,
Nil nostris est temporibus contemptius, atque
Illaudabilius, nil fama, & nomine dignum

Creditur esse minus; non tanto, tamque docendi
Diuino officio, & cælesti munere quicquam,
Neglectumq́, magis, magis indignumque putatur.
Magna igitur dignum ducatur laude, disertè
De pluuia arcenda, stillisque cadentibus, atque
Parietibus multa in populi, magnaque corona
Dicere, vel deuaricibus, vemsque secandis.
At nulla egregio doctori, nulla docendi
Proposita insignis laus est curæ, atque labori,
Nullus honos, sordet passim doctrina, iacentque
Artes ingenuæ contemptæ, doctior ille,
Cui frons perfricta est, maiorque audacia; habetur.
Et tamen indignè ferimus, quòd secula nostra
Effœta insignes homines, diuosque Platones,
Facundos Marcos, admirandosque Marones
Non, vt prisca, ferant: peccataq́; tradimus astris
Nostra, quòd antiquum decorarint talibus æuum
Dextra viris; reddant segne, atq; ignobile nostrum.
Non facit hoc cœli facies, sed inertia nostra:
Namque huc segnities, huc nos ignauia traxit,
Vt finem nostris studijs, nostroq́; labori
Figamus, linguam callere, & scire latinam.
Artibus in grauibus sudare, & quærere, quidnam
Pagina contineat magni diuina Platonis;
Aut quid Aristoteli placeat; quid picta sequatur
Porticus, & causas rerum nouisse latentes,
Ducimus obscurum, ingenio famamque parare

Cre-

Credimus esse hominis demissi, segnis, inertis.
Scilicet illa ingens laus, illustrisque videtur,
Illa viro, & magno censetur principe digna
Gloria, quæ horrendis Mauortis quæritur armis.
Qui plures bello occidit; cui sanguine multo
Dextra rubet; mensque est in cæde, & vulnere semper,
Ille est par superis, magno maiorque Quirino.
O cæcas hominum mentes, ò pectora stulta.
Præfertur manus ingenio; gladiusque cruentus,
Quo multi cecidere duces, puerique, senesque,
Qui vastauit agros, qui regna euertit, & vrbes
Excidit, solio reges spoliauit auito,
Qui non virginibus sacris, templisque pepercit,
Non aris diuum, qui luctu cuncta repleuit,
Lamentis, gemituque, & femineo vlulatu,
Munere diuino, & cæli donatur honore.
At vitæ innocuum genus, & quo scandere olympum,
Et tolli super astra licet, secreta Iouisque
Cernere, quo æqualis nostra est natura deorum,
Contemptum iacet, & nullo dignatur honore;
Sordibus immersum, tenebrisque, vmbrisq; sepultum.
Non nos crudeles genuere ad prælia diui:
Nascimur ad pacis studia; & generamur inermes;
Cum dederit reliquis natura animalibus arma.
Est nobis mens, & ratio concessa Deorum
Munere, vt obliti terras scrutemur olympum;
Miratique Iouis facta immortalia; rerum

Tan-

Tantarum autorem summo veneremur honore.
Huc nos perducunt celeri dulcissima passu
Ocia musarum, huc artes placidæ, atque quietæ,
Discere quas nullus labor est, sed summa voluptas;
Qua qui non valde afficitur, non ille putandus
Est homo, sed magnum humana sub imagine monstrum.
His doctor sapiens pueriles imbue mentes
Artibus; his iuuenum mollissima pectora doctus
Excole diuinis studijs; securus inanes
Vulgi rumores, & stultas despice voces.
Qui tener his fuerit studijs exercitus, illum
Non vis, non ferrum, non ipsa abducet honesto
Fortuna; inuictus mortalia negliget; atque
E summa cœli missus censebitur arce:
Nulla hunc demittent terrarum incommoda; nulla
Hunc mala deijcient; conuellent prospera eundem
Nulla gradu: Alcide maiorque videbitur ipso.
Non ego, si docilis detur puer, vlla verebor
Vulgi iudicia, & populares temnere voces.
Non me contemptum nomen, spretumq; magistri
Terrebit, ne artes doceam placidisque camœnis,
Et Phœbo dignas; primumq; elementa peritè
Omnis doctrinæ ostendam, cunctosque recessus
Pandam grammaticos; retegamq; abstrusa viarum,
Dumosos, cæcosque aditus, quibus ire latentes
Augusti liceat veri, rectiq; penates;
Mox, qua vi mentes hominum flectantur, & ore

Quo

Quo fas sit suadere senes, iuuenesque, docebo;
Ducam in Parnassi diuina cacumina montis;
Pegaseo de fonte sitim restinguere, Pindi
Perlustrare oculis saltus, Helicona videre,
Et Iouis affari natas, aptare recentem
Contextam capiti lauroque, hederaque coronam,
Fortunasque hominum, vitam, moresque canendo
Ornare, & veris attexere falsa licebit.
Tanti quippe operis, & tanti, Straccha, laboris
Illa mihi fuerint ingentia præmia, merces
Illa mihi grandis, permagnaque gratia, nostro
Si studio, & cura pertingat sidera quisquam.
Non ego, dum nostro fungamur munere, quæram,
Qui sint de nobis sermones, quidvè loquatur
De nostra passim doctrina ignobile vulgus.
Malo in me ingenium damnetur, cura, laborque,
Officium, studium, sapientia, munera rara,
Quàm ruditas, quàm segnities, incuria, & ipsa
Turpis cunctorum errorum ignorantia mater.
Præterea accusor, quòd sim mitissimus, atque
Irasci ignorem, nec verbera nostra trementes
Horrescant pueri, scuticæ terrore subacti.
Plagosus placet Orbilius; sæuusque probatur
Præceptor; doctrina putatur inutilis illa,
Quæ non supplicio, non sit formidine plena.
Sic vulgus. Sed tu, quem doctum reddidit vsus,
Cunctorum & gnarum longa experientia fecit,

Et

Et iuris varia, & prudens doctrina, timorem
An credis quenquam meliorem reddere posse?
Doctor discipulo pater est; non imperat ille
Vi nato; hortatur, monet, increpat, orat amanter,
Non est terribilis, non formidabilis, atque
Horrificus, grauiterq; minax, non verba catenas
Intentant; non dextra genas diuerberat; aures
Non irata manus vellit, longosque capillos:
Sed grauis, & peramans est, & venerabilis ore;
Et cauet, exemplo nati ne moribus obsit
Ipse suo; lingua est verax, moderata, pudica;
Turpia condemnat grauiter, collaudat honesta;
Accusat vitium; virtutem ad sidera tollit;
Magnorum profert antiqua exempla virorum;
Et, qualis lingua est, talem se moribus offert.
Huic vitæ puer assuetus, non dicere quicquam,
Aut facere audebit loris, & verbere dignum.
Hoc pater, ac dominus distant; quòd sæuior alter
Pistrinum, duramq; molam, virgasq; minatur;
Fustibus accinctus, ferulam expedit, atque flagella.
Alter vim remouet; nil durum cogitat; offert,
Demonstratq; viam, qua sponte ingressus honesta
Sectetur, famam quærat, nomenq; perenne;
Et docet Alciden, Bacchum, magnumvè Quirinum
Ad cœlum euectos virtute, & fortibus ausis.
Quare odio est alter magno, magno alter amori.
Est patri similis præceptor; diligit omnes,

Quos docet, in primis auidos, cupidosque sciendi,
Et quorum magno ingenio, & probitatis amico
Plurima discendi coniuncta est summa voluptas:
Hos laude attollit: dictis spe complet; honore
Excitat; & teneros animos virtutis amore
Inflammat; studia ad praeclara dirigit ore;
Ambitione fouet; verbis accendit honestis.
Non est ingeniјs in talibus vlla timenda
Segnities, non est metuenda ignauia, non mens
Ad vitium facilis, prauos procliuis ad vsus.
Si tamen interdum à rectis deflectere cernit
Hos doctor studijs, non castigandus acerbè
Est error; dictis non obiurganda seueris,
Atque palam, & turba in media peccata minora;
Sed moneat; monitus videatur amore profectus,
Non odio; clamq; accitum, qui errarit, amice
Corripiat; laudet vacuos errore sodales;
Vt laus ingenuam commordeat aemula mentem;
Et virtus aliena animum laudata fatiget.
Vt generosus equus virgae compellitur vmbra
Ad cursum; & nullis regitur calcaribus armos
Perfossus: praeda vt velox, acerque Molossus
Euolat inspecta, nec venatoris acerba
Hortantis monita, aut voces expectat amaras:
Sic puer ingenuus non plagis ducitur, atque
Verberibus caesus, studia vt praeclara sequatur;
Sed rectas artes vltro complectitur; atque

Egregias

Egregias rerum doctrinas sponte capessit.
Ignauus contra iuuenis, cui tardus, hebesque
Est animus, qui nil magnum, nil cogitat altum,
Sed somno oppressus stertit, languetque veterno
Vsque grauis deses, non ille hortatibus vllis,
Non dictis, non verberibus, plagisque mouetur:
Nil prodest illi doctoris sedula cura:
Nil praecepta iuuant: segnis languetque, iacetque.
Vt lapis, in summo qui exciditur Apennino,
Nulla sic cura, nulla sic arte poliri
Cernitur, vt leuis pura pelluceat æthra.
Sic puer ingenio tardus, crassusque magistri
Non cura ingenti, non sedulitate iuuatur
Sic, vt sit sapiens, doctusque futurus, & acer.
Qualis ager sterilis non cultu, aut stercore fundit
Fœcundas segetes, & spicis horrea complet,
Sed raros calamos nullo cum fænore reddit:
Tale hebes ingenium, exiguum est, quod ab arte magistra
Accipit, exigua vtilitas, & parua voluptas.
Expectat stimulos semper, calcaria semper
Naturam talem nactus; non ardor amoris
Illum ad præstantes ingens exsuscitat artes
Quo nisi corripitur iuuenis, labor omnis inanis,
Omnis sedulitas vana est, & cura docentis.
Pierides natas magni Iouis, atque Mineruam
Diligite ò pueri; vobis hic torreat ignis
Pectora; combustos hæc flamma incendat amoris.

Præstantes animos, studijs nutrita benignis:
Namque suos tantum redamat sapientia amantes;
Atque procos dilecta suo dignatur amore:
Attentas aures docili præbete magistro:
Scriptaque priscorum, & monumenta æterna virorum
Nocturna versate manu, versate diurna.
Sunt geminæ portæ, quibus in penetralia mentis
Doctrina irrepens peruadit, lumina, & aures;
Insonet his blandi vox intellecta magistri;
Illa iuuent veterum perlecta volumina sæpe.
Nullus doctrinæ, nullus virtutis amator
Eximius, magnusque fuit, qui indoctus, inersque
Extiterit; curas, sudores, atque labores
Vincit amor summus, minuens quodcunq; molestum est.
Non ille horrores hiemis, non frigora brumæ
Horrescit; non ille niues formidat, & imbres;
Non æstus metuit; Baccho, & Venere abstinet; omnes
Euigilat noctes, quem tanquam dente tenaci
Vipera correptum sapientia pulchra momordit.
O morsus Siculæ mihi nectare dulcior Hyblæ,
Mopsopioque fauo, mentes qui corripis altas,
Correptasque semel retines, nec deseris vnquam.
Huius Socraticus morsus formosus amator
Vt vires sensit, tanta dulcedine captus,
Assentatores, omnesque reliquit amantes;
Xantippesque virum est vnum complexus amicum.
O vtinam nostros iuuenes dulcissimus iste

Corri-

Corripiens morsus virtutis reddat amantes;
Vt cupiant omnes doctrinæ carpere flores;
Atque Aganippæo per prata virentia plectro
Argutas pulsare lyras, & uisere montes
Aonas, & Phœbum affari, facilesque sorores.
Huc omnes neruos magnus, sapiensque magister
Intendat; curas omnes, omnesque labores
Huc referat; tali ut morsu sapientia prendat
Discipulos formosa suos: cui munera tanta
Concessit Superum Rector, non ille flagello
Indiget, aut ferula utatur præceptor amara.
Persimilis tabulæ rasæ, quam nulla figurat
Forma rei, impressam quam nulla insculpsit imago,
Est animus pueri, cunctas apprendere formas
Aptus, & acceptum longe seruare colorem.
Vt paries albus, quem nulla notauit imago,
In quancunque uelis rerum formamque, modumque
Signatur; sic mens puerilis suscipit omnes
Naturas, habitusque tenax, seruatque fidelis.
Imbuat hos igitur studijs rectisque, bonisque
Præceptor teneros annos, atque optima tradat.
Est magnum, multumque potens assuescere prima
Aetate ingenuum, dignumque subire laborem.
Multis mollicies nocuit doctoris, & istis
Obfuit ebrietas, & uita obscœna magistri:
Illum duricies, hunc indulgentia fregit:
Sæuitia auertit quosdam, ludoque fugauit.

Non

Non vna est ratio, non vna est forma docendi.
Indiget hic freno tantum, calcaribus ille:
Est alter facilis, durus monitoribus alter:
Demittit metus hos magnus, qui continet illos:
Hic vult laudari liber: vult ille reprendi:
Imperium est graue non paucis: cupit ille doceri
Mollius, hic grauius: natura, atque impetus illum
Promouet, hic studio melior, curaque tenaci.
Et quamuis rigido sit virga tributa magistro:
Chrysippusque grauis, longusque admiserit vsus
Cædere discentes; mihi non tamen ille probatur
Mos verò indignus docto, & sapiente magistro;
In primis quoniam non sunt seruiliter artes
Tradendæ ingenuæ; tum quòd vel sordidus ille est,
Quem formas, animo vel liber, & altus honesto:
Si sordens fuerit, duratus temnere plagas,
Nil bene cæsus erit melior, quàm barbarus emptus
Vel de Cappadoca seruus, mediaque catasta:
Indole sin fuerit recta, & virtutis amica,
Nil opus est virgis: animus nam nobilis ægre-
Fert, si cogatur facere id, quod forte libenter
Fecisset, blando monitus sermone magistri.
Est timor ipse duplex, alter seruilis, & alter
Ingenuus; tenet ille odium, tenet alter amorem:
Ille metus; proprio hic reuerentia nomine fertur:
Vir bonus hoc leges, & iura timore veretur;
Hoc regem populus; coniux hoc ipsa maritum;

Hoc patrem puer; hoc timeat discensque docentem:
Verum ille est domini durus metus, atque tyranni.
Ergo suum, quicunque artes perdiscit honestas,
Doctorem colat, & timeat: sit & ipse magister
Doctrina, exemplo, verbis, vitaque verendus.
Barbarus immitis sit, non Romanus, amantem
Humanis animum studijs excultus, & omni
Doctrina ornatus: poterit seruiliter iste
Ingenuos pueros sceleratis cædere virgis?
Non ne vetat nobis diuini id sancta Platonis
Pagina? non docti Græci, doctique latini?
Obsequio frenatur equus; taurusque domatur;
Obsequio pueri melius, iuuenesque reguntur.
Rarò ergo ferulam accipiat præceptor acerbam;
Ad feraque inuitus descendat verbera rhetor:
Oderunt iuuenum truculentos turba magistros:
Sæpeque vindictæ studio funduntur in iras.
Nec de discendo, verum de vulnere, deque
Exitio sunt solliciti doctoris, & illum,
Qui obseruandus erat, cultuque, & amore verendus,
Insidijsque petunt; iactant maledicta proteruo
Ore, nec insana metuunt conuicia lingua
Inferre, & famam austeri temerare magistri.
Tutius est igitur grauibus compescere verbis,
Et monitis animos iuueniles flectere amicis:
Cogere præsertim cum possit, quæ vna docetur,
Nemo voluntatem; quodcunque est, libera, visum,

Et

Et fugit, & sequitur; quæq; indignata iubentis
Rumpitur imperio, & nescit vim ferre coacta,
Flectitur obsequio, & placido sermone mouetur.
Cum primum cæpi pueros, iuuenesque docere,
Qui plagosus erat, quoniam doctissimus idem
Ille putabatur, plausus studiosus, & auræ,
Cæpi crudelis iura exercere magistri,
Supplicio plectens, ut maxima, crimina parua:
Nulla erat errori veniæ spes: omnia circum
Lamentis, gemitu, lachrimis, luctuque strepebant:
Terribili scutica succincta Megæra videbar.
Fit magnus subito nostras concursus ad ædes
Vndique; pulsatum hic natum dolet, ille nepotem,
Fratrem alius; resonat varijs clamoribus æther:
Crudelemque vocant, detestanturque magistrum.
Tunc intellexi non in sua pignora quenque
Velle, sed in reliquos discentes esse seuerum
Doctorem, quem quisque suis cupit esse benignum.
Cuique suus patri est natus carissimus; illi
Indulget mollis; facilis blanditur; acutum,
Turpe licet, si quid puer est fortasse locutus,
Laudatur pueri ingenium: sic mollior ætas,
Quam patris facilis blanda indulgentia fregit,
Mittitur ad ludum corrupta parentibus ipsis.
Si quicquam puer edíscit, super æthera fertur
Non doctrina viri, non cura, laborque docentis,
Sed pueri ingenium tantum; sin tardior, atque

Obtusus, fugitansque nihil perdiscit, iniquè
Omnis in insontem confertur culpa magistrum.
O prauos hominum mores, sortemque docentum
Indignam, ac miserum, laus est queis nulla parata
Doctrinæ, ingenij, officij, curæ, atque laboris.
Quam genus infelix fuerit, sitque omne docentum,
Scit doctor, quem vox sapientem Delphica dixit,
Et gelido succo potata cicuta peremit:
Scit quoque, discipulo cui vena soluta Nerone est,
Si cædis, sæuum dicunt, sin dextra minaces
Deponit virgas, nec crimina punit acerbè,
Corruptor iuuenum, & doctor dicere remissus:
Nec tua te tantum damnabit inertia segnem;
Sed vel discentis perstringet culpa docentem.
Hæc quoque doctores miseros querimonia tangit;
Quòd queritur studio iuuenes maiore doceri,
Quàm pueros, nati cui sunt ætate minores:
Contra, cui paulo maiores, temporis inquit
Indignans plus in paruis absumere iniquum
Doctorem: de plebe parens, ignobilis, & vir
Sollicitum de nobilibus dolet esse magistrum;
Et queritur natum contemni; nobilis autem
Plus sibi deberi, natoque exclamat; eodem
Iure suum puerum dolet, & stomachatur haberi.
Cum tam sint hominum pugnantia pectora, tamque
Pugnantes animi, studia & contraria, mentes,
Aduersæque voluntates; an ne omnibus vnus

Gratus erit? poteritq; diu, cunctisq; placere?
Quod nulli sperare licet, sperabimus ipsi?
Vt nos nullum odium oppugnet? nullusq; quietos
Liuor agat? versetq; humiles, cupidosq; iuuandi?
Nullus vt inuideat tranquilla silentia vitæ
Innocuæ; magnum cum iam lacerarit Homerum
Zoilus, & culti damnarit carmina vatis?
Tantum igitur studio ingenti curabimus illud,
Nequis me iure accuset, culpetq; docentem;
Ne vitium obijciat; neu forte reprendat inertem.
Nil, præter culpam, præstabo: temnere certum est
Ignauas vulgi voces; & dulcia Phœbi
Ocia sectari; & sine crimine munere fungi
Mandato; nulli lingua, dextraq; nocere.
Qui natum reddi meliorem verbere speras
Iam natu grandem, iam plenæ ætatis adultum,
Cæde illum ipse domi; genitoris & vtere iure:
Ne præceptori manda, præstare quod ipse
Es potis; illius non sit nisi cura docendi.
Moribus ornari, præclarisque artibus optas
Si puerum pater, ad ludum mitte; atque solutus
Viue metu, & curis vacuus; non spernitur illic
Paruulus, obscurus, pauper; sunt tempora cuique
Fixa sua; atque omnes æqua vel lance docentur.
Ne semper segnem quæri, semperque vocari
Expectes; genitor genitoris suscipe curam.
Ex tot discipulis vnum quis cernat abesse?

Tam

Tam multa oppressus turba videt omnia doctor?
Cum tu sis nato genitor tam cæcus in vno?
Si monet ignauos, hortatur amicus inertes,
Accendit lentos, tardos docet, & fugitantes
Castigat, dociles iuuenes, cupidosque sciendi
Spe complet, verbisque graues inflammat ad artes,
Atque iuuentutem commissam exercet honestis,
Et rectis studijs, pueros que timore coercet
Audaces, timidos dictis attollit amicis,
Et laudabiliter prudens, recteque tuetur
Mandatas partes; cur, quem laudare magistrum
Et licet, & debes, carpis, damnasque malignus?

IOANNES BAPTISTA EVANGELISTA.

Bernardino Stracchæ. S. P. D.



OLES *amorem illum meum, quo te, dum istic eram, ac docebam, sic prosequebar, vt viderer ceteros quidem omnes pueros, adolescentesque Anconitanos diligere, te vero vnum amare, paucorũ mensium spatio, neque admodum longo locorum interuallo sic refrixisse, vt ne recorder quidem iam tui amplius: idque ex eo dicis te colligere, atque conijcere, quòd, si verè amarem, sæpius ad te scriberem. Quæ quidem siue accusatio, siue expostulatio tua licet iniqua me hercule sit, tamen sic mihi iucunda, grataque est; quoniam, quanti me facias; quamq; meas literas exoptes, significat, vt non possim te ea de causa non plurimum amare: ceteri, qui me minus, quàm tu; diligunt, minoreque tenentur epistolarum mearum cupiditate, cum vidissent me diutius tacere, nihilque respondere literis suis, præsertim non solum multis, verum etiam humanis, ac per beneuolis, profectò à scribendo destitissent; neque tam fortasse conticuissent, quàm amorem in odium commutassent: tu autem, quoniam amas me non minus vehemen-*

ter,

ter, quàm verè, etiam si me obstinatius tacere vides, tamen à proposito non discedis, neque desinis quotidie suauissimis literis tuis me ad scribendum & hortari, & cogere. Vide; quid tua ista tam admirabili humanitate, incredibilique beneuolentia sis assecutus: statueram nullam literam facere, nullam scribere cuiquam, nisi necessitate compulsus; non quòd me huius, qualecunque est, officij tæderet, molestumque foret ad amicos literas dare, sed quòd sic negotijs obruor, nedum distincor, & familiaribus, & publicis, sic multitudine opprimor discipulorum & Senogalliensium, & externorum, qui magno ad nos concursu, magna frequentia ex vrbibus, oppidisque finitimis quotidie confluunt, vt nullum detur otium, nulla quies, nullum ad scribendum spatium: accedit ad tantas, tamq; continentes; ac perpetuas occupationes meas, quòd domum habeo refertam adolescentibus, qui mihi à parentibus traditi sunt non alendi modo, sed bonis etiam moribus, bonisque literis imbuendi, atque instituendi, quibus quidem amor, quo eiusmodi discipulos, conuictoresque prosequi consueui, cogit illas disciplinas, artesque demonstrare, ac tradere, quæ & doctiores illos efficiant, & meliores. Quamobrem non obliuione tui, cuius memoriam, & dulcissimum nomen nulla vnquam neque temporis, neque loci longinquitas ex animo delebit meo, neque diminutione amoris, quo te semper cum propter ingenij præstantiam, tum propter morum suauitatem dilexi plurimum, diligamque,

gamque, quandiu viuum, sed & multiplicibus, ac varijs docendi molestijs, atque occupationibus, & non exiguis curis domesticis, quæ in tanta familia, quanta mea est, non possunt non esse multæ, fit, vt, qui cum semper esse, ac loqui vellem, ad eundem rarius scribam; etiam lacessitus. Sed licuerit hactenus errare, tacereq́; diutius, quàm cum tam bono, tamq́; beneuolo, officiosóq́; decebat adolescente: dabo operam posthac, ne queraris, meq́; amplius accuses de missione literarum: non committam profectò, vt, cum à me incredibiliter ameris, suspiceris tamen aut te non diligi, aut tuas mihi literas non esse iucundas. Scribis eum, qui istic mihi vicarius successit, lectusque est, cum Apologiam nostram legißet, incidißetq́; in illud carmen.

Doctrina proprio prudentia nomine fertur.

Affirmauiße me in eo errasse, quòd post spondæum, vnde versus incipit, sequatur Tribrachus, contra morem, vsumq́; latinorum poetarum, apud quos pes ille non nisi post Dactylum sequatur interdum; idque ex compluribus Vergilianis carminibus posse intelligi, veluti ex his.

Nostrorum obruimur; oriturq́; miserrima cædes.
Si pereo, manibus hominum perijsse iuuabit.
Olli serua datur operum haud ignara Mineruæ.

In quorum primo è secundo, altero è tertio, tertio è quinto Aeneidos libro tertium pedem, qui Tribrachus est, præit Dactylus, quemadmodum in his, qui sequuntur, tribus.

Pleiadas,

Pleiadas, Hyadas, claramq; Lycaonis arcton, è primo Georgicorum.

Inualidus, etiamque tremens, & iam inscius aui. è tertio eiusdem operis.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta. ex quarto Aeneidos.

Secundum Tribrachum primus item Dactylus antecedit. Non possum Straccha non amicissimo homini gratias agere immortales, & quòd, si, quemadmodum ipse putat, erraui, meum me docuit errorem, & quòd, cum potuisset alium quoque locum reprehendere, eodem verbo, & non dissimili vitio laborantem.

Cultus doctrina; non est verbosa, nec oris.

Contentus primum lapsum notasse, atque reprehendisse, secundum sibi reticendum, mihiq; condonandum iudicauit, veritus fortasse, ne si me iterum ad eundem lapidem offendiße dixisset, bisque eodem verbo monstrasset peccasse, amici animum læderet, atque exulceraret: neque enim arbitror hominem in metricis rebus, præceptionibusque diu versatum, ac planè Lynceum non eadem animi acie, qua primum vidit errorem, secundum quoque vidisse, præsertim eiusdem, aut non longe diuersi generis: sed ideo, credo, me in altero non accusauit, aut quòd amicitiæ, quæ illi mecum intercedit, habuit rationem, aut quòd forsitan non æquè vitiosè putauit sequi post Spondæum Iambum in secundo, vt Tribrachum in primo versu: fieri etiam potest, vt alteri vitio

tio

tio pepercerit, alterum criminatus sit, vt intelligerem eum non minus clementem esse quàm doctum, vt, quod pepercerit, clementiæ, quòd autem accusârit, doctrinæ tribuerem. Verum illud iniquiore animo tuli, quòd conquestus cum sit, dolueritque se à me de hac Apologia prius, quàm ederetur, vulgareturq; celatum, illud planè significat, non aliter me vacuum ab errore fuisse futurum, quàm si ei opusculum, carmenq; illud corrigendũ, emendandumq; tradidissem, præsertim cum iactasse illum scribas, merito mihi accidere, vt in syllabis peccarim, lapsusque in metricis sim, quando in eo poemate conficiendo, conformandoque amicorum consilio, operaq; vti noluerim, qui, quæ ipse non vidissem, & animaduertissent, & me familiariter, beneuoleque monuissent. Quo quid non solum inflatius, verum etiam criminosius dici, atque excogitari potest? adeo igitur de se magnificè, splendideque sentit doctor iste egregius, adeo de me abiectè, atque humiliter, vt arbitretur nostra, nisi ab eo limata, perpolitaque sint, vitio, reprehensioneq; non caritura? sic me iudicat imperitum, vt non solum in puerilibus; & notissimis rebus peccarim, sed nec etiam intellexerim me hominem esse, & peccare posse? sic superbum, vt maluerim id carmen vitiosum legi, & errores habere, quàm amicorum, doctorumque hominum censuræ subijcere? nisi amarem illum propter communionem, coniunctionemque studiorum, vt debeo, plurimum, multis me hercule verbis male acciperem, non

tam

tam quod ignorantiæ me accuſat, quam quòd ſuperbiæ, cuius quanta ſit moderatio, quãta humanitas, non ignoras, quodq; ſe deſpectum, contemptumq; à me exiſtimat, quem ego ſemper plurimi feci, ac de quo nunquam non honorificentiſſimè locutus ſum: non ſum tamen eius labore, atque induſtria vſus ad id carmen exornandum, ac perpoliendum, quoniam, cum vellem illud quibuſdam de cauſis quam primum in lucem prodire, vrgererq; temporis anguſtia, quo minus doctorum omnium, qui mihi familiaritate coniuncti ſunt, vterer iudicio, vnum ex omnibus delegi Franciſcum Fatiolum non præſtantiſſimum modo philoſophum, ſed elegantiſſimum quoque cum Etruſcum, tum latinum poetam, qui mihi inſtar omnium cum eſſet, quòd omnium & ingenio maximum, & reconditiore quadam doctrina ornatiſſimum iudicabam, eum eſſe volui vnũ, qui Apologiam noſtram inſpiceret, legeret, emendaret, non modo vbi aliquid eſſet offenſum, ſed ẽt vbicũq; aliqua offenſiũculæ, Labeculæq; ſuſpicio vel pertenuis viri animũ pungeret; qui quidẽ cũ locũ hũc, quẽ iſte vitioſũ eſſe affirmat, nõ dãnarit, neq; correxerit, ſatis perſpicuũ eſt, eſſe in eo uerſu nihil, qđ animaduerſione, caſtigationeq; dignũ ſit à doctiſſimo uiro iudicatũ. Quamobrẽ non poſſum nõ mirari vehemẽter adeo carpendi, criminandiq; mei auidũ fuiſſe ſummũ iſtũ doctorẽ, vt nõ ex illo ipſo poemate noſtro intellexerit nõ tã me ma lũ eſſe poetã, tãq; metricæ artis ignarum, ut potuerim in tã ſœdũ, puerilẽq; errorẽ incidere, ſicq; hallucinari, ut ne

illa quidem tenuerim, habuerimque perspecta, quæ vel pueris nota sunt, quæ in primam desinunt, vocalem, nomina corripi omnia, nisi casus sint latini, eiusdemque sexti, ideoq; vltimam, qua Doctrina clauditur, terminaturque, syllabam primam esse neque Dactyli potuisse primo loco, neque spondæi secundo. Sed hic est, mi Straccha, communis grammaticorum omnium morbus, non minus antiquorum, quàm recentium, vt, si qua sunt, quæ nesciant, ea inprimis damnent, ne nescisse videantur. Id eo dico, quoniam si aut singularis iste magister in metricis rebus, in quibus regnare vult videri, maiore doctrina, aut vos earum, quas ex me cognouistis, rerum meliore memoria fuissetis, neque ille me reprehendisset fortasse, neque vos, qui ex me, & ex æquo, & ex superiore sæpe loco de duobus his eius operis locis, qui vitiosi ab imperitis iudicari potuissent, eorumque excusatione, defensioneque pluribus disputantem audiuistis, reprehendi siuissetis: verum quando & ille, quæ sunt in metrica, poeticaque scientia vulgaria, & peruagata tenet, abstrusa vero, & recondita ignorat, & vos tam exigua estis, aut nulla potius memoria, vt meæ eorum locorum, quam sæpius audiuistis, defensionis prorsus obliti sitis, discite, quæ ignoratis, quævè penitus exciderunt, in tertijs, quinctis, septimis, nonisque syllabis carminum heroicorum, quas Græci trimemerim, pentimemerim, heptimemerim, & enneamemerim, nostri cæsuras vocant, nulla nos metrica lege pro-

ge pro-

ge prohiberi, quo minus interdum breues pro longis collocemus, ac statuamus: verum, ne in syllabis numerandis erremus, cauendum est inprimis: nam spondaici versus licet diuersi generis, sint, tamen, qui propriè dicitur heroicus, sex constat spondæis, qui sex conficiunt metra, ex quo dictus est hexameter; recipiunt tamen spondæi in suis sedibus omnibus, præterquam nouissima (veluti non ignobiles grammatici tradunt) sæpissime Dactylos, rarius Procelleusmaticos, rarissime vero Anapæstos; quoniam hi omnes spondæo pares sunt, si minus syllabis, at certe spatio, ac tempore. Itaque, cum sex spondæi duodecim cogant, conficiantque longas syllabas eaque de causa hexameter heroicus non maiore, quàm eo, quem dixi, numero componatur syllabarum, cum, qui pedes breues habent syllabas, pro spondæis collocantur, in metris dimetiendis, numerandisque syllabis duæ correptæ pro una capiuntur producta. Hoc si numeres modo, videbis illas cæsuras, figurasque metrorum sic suis locis cadere vniuersas, vt principia sint semper metri, ac pedis, siue ille Dactylus sit, siue spondæus, fines uero, terminique vocum, in quibus deprehenduntur. Vt autem ante syllabam natura breuem, vnde aut Tribrachus; aut Iambus, qui ab imperitioribus putantur, appellanturque, pedes principium capiunt, necessarium sit præmitti semper Dactylum, nunquam spondæum, quæ obseruatio istius propria est vnius, id neque vllus vnquam aut eruditus præcepit grammaticus, aut sa-

 piens

piens obseruauit poeta: nam ante pedes illos in eo carminis genere non minus sæpe Spondæus apud bonos poetas, in primisque Maronem occurrit, quàm Dactylus; vt in plurimis principis illius poetæ, nonnullisque aliorum carminibus uideri planè potest. Vergilij quidem versus, in quibus post primum carminis pedem spondæum Tribrachus sequitur, hi sunt.

Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta.
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta.
Æstusque, pluuiasque, & agentes frigora ventos.
Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.
Eurique, Zephyrique tonat domus alta.
Fontesque, fluuiosque voco, quæque ætheris alti.

In quibus quidem carminibus omnibus, quemadmodum & in illo Lucani è secundo.

Dum sanguis inerat, dum vis materna peregi.
Duobusque illis Iuuenalis, altero è tertia,
Occulta spolia, & partos de pace triumphos. altero è nouissima satyra.
Vindicta grauior, quàm iniuria, dignum erit ergo.

Quis nō videt præeuntē spōdæū subsequi Tribrachū secūda sede, vti nonnunquā tertia? veluti hoc Vergilij versu.

Nusquam amittebat, oculosq; sub astra tenebat.
Interdum vero quincta, vt illo eiusdem.
Ille latus niueū molli fultus hyacintho. eoq; itē Catulli.
Jam veniet virgo, iam ducetur hymenæus.

Ex quo sequitur, vt in his quasi legibus siue poeticis, siue

metricis

metricis,& errarit meus iste emendator perdiligẽs, qui nũquã in hoc carminis genere arbitratus est collocari Tribrachũ post Spondaũ, & ceteri fere oẽs fallantur grãmatici, tã qui asserũt fieri in plerisq; eorũ, q̃ modo recitaui, carminũ nobiliũ poetarũ, vt breues natura syllabæ positione producantur, quã conficiant siue duæ simplices, siue vna duplex consonans, vnde sequens incipit uerbũ, quam qui putant fultus in Maronis, & Ducetur in Catulli carmine positione item vltimam producere, quam postrema vtriusque verbi consonans, & eius; quod sequitur, princeps aspiratio faciat. Itaque cum ijs vtriusque poetæ versibus, tum alijs nonnullis Maronis præcipue ipsius, illisque potissimum:

Graius homo infectos linquẽs profugus hymenæos. &

Sustinet, & natæ, Turniq; canit hymenæos.

Volunt imperiti homines confirmari aspirationem interdum consonantis officio fungi, vimq; literæ retinere, ignorantes in eiusmodi versibus, vt metri ratio constet, fieri non positione, sed enneamemeri, quæ monet ea sede ferendam esse pro longa breuem; idque vel ex eo licet Vergiliano intelligere.

Muneribus tibi pampineo grauidus autumno.

In quo grauidus qua alia ratione vltimam, quæ natura corripitur, producat, non inuenies mehercule, nisi ad eam, quam dixi, cæsuram confugias: qua ergo siue excusatione, siue ratione apud hunc Grauidus; eadem tum apud eundem Fultus, Profugus, & Canit, tum

tum apud Catullum. Ducetur nouissima, quæ per se breuis est, producta dicitur. Sed qua grammatici pertinacia sunt, ne concedant cæsura potius, quàm positione fieri, vt in superioribus, quæ protuli, Maronis, Catulliq; carminibus prima quinti pedis syllaba, quæ naturaliter breuis est, producatur, illud obijcient Vergilianum.

Dum trepidant, it hasta Tago per tempus vtrunque

In quo quartam syllabam, Itque verbum, cum cæsura produci non possit, quoniam in ea sede locus, iusque est cæsuræ nullum, non alia productum ratione contendent, quàm positione, quam muta illa, atque insuauis (vt Cicero iudicat) litera, in quam It desinit, & aspiratio, vnde hasta principium ducit, conficiant. Verum hic quoque decipiuntur ea de causa, quòd non intelligunt, vt It producatur, nihil opus esse positione: concisio namque id præstat: erat enim integrum. Iuit, ex quo præterito medijs duabus literis amotis, ac sublatis, & prima, extremaque retenta, It factum est: in quo quidem verbo cum vocalis tanta sit, quanta in Iuit, vnde per syncopem ductum, dictumque est, fit, vt, cum natura longa sit, positione non egeat, vt producatur. Falli eos quoque grammaticos arbitror, qui in illis, quos supra citaui, versibus & Vergilij.

Lappæque, tribulique, &c.
Æstusque, pluuiasque.
Cretesque, Dryopesque
Eurique, Zephyrique

Fon-

Fontesque, fluuiosque & Iuuenalis.
Occulta spolia. &
Vindicta grauior.

Produci tertiam volunt carminis, primamque secundi pedis syllabam natura breuem propter vel duas simplices, vel vnam duplicem consonantem, vnde sequens verbum initium sumit; quòd positio verè, propriéque fit, vel cum post vocalem in vna, eademque dictione, aut consonantes simplices duæ, aut duplex vna inuenitur, aut tertia uocalis inter duas uocales occurrit media, uel cùm inter uocalem superioris uerbi ultimam, primamque posterioris duæ sic interiacent consonantes, ut altera superiorem claudat, ac finiat, altera inferiorem, sequentemque inchoet dictionem, ut autem breuem uocalem, quæ antecedens finiat, atque perficiat uerbum, aut duæ producant simplices consonantes, aut una duplex, unde, quod sequitur, uerbum incipiat, id licet Prisciano, Diomedique probetur, adeo tamen raro fit, ut nõ nisi ubi alia excusatione, defensioneque vti non licet, factum concedere, affirmareque debeamus: cur enim, si liceret, vsitatumque foret, non id alibi, quàm in tertia, quincta, septima, nona carminum syllaba fieri apud veteres poetas videremus? quibus in sedibus illis, quas diximus, cæsuris locus est? ubi etiam si una tantum, eaque simplex secuta consonans fuisset, tamen propter cæsuras ferri breuis syllaba pro longa potuisset; ut in illo Vergilij.

Dona

Dona dehinc auro grauia, sectoque elephanto.
Quod ab alijs quoque poetis factum obseruauimus, vt à Catullo.

Te canet agricola magna cum venerit urbe.
Et in epistolis ab Ouidio.

Exerces preciosa odia constantia magno. *Nam in illo Vergiliano.*

Liminaq;,laurusque Dei,totusque moueri.Ouidiano.
Sideraque, ventique nocent, auidaque volucres.
& Statiano.

Tergaque, pectoraque galeis inclusa relinqui.

Que coniunctionem excusari nonnulli uolunt, in quibus Seruius grammaticus est, non (uti ego uolo) propter tritimemerim, aut pentimemerim, sed uel quòd non omnia monosyllaba ad artem pertinent, & licenter his uti possumus, uel quòd omnis particula, quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis: quod si est, Que cum superiore dictione quasi una pars orationis est, & potest Que finalitatis ratione produci, uel corripi. Verum nos existimamus, ubicunque ea coniunctio longa reperitur, non alia de causa produci, quàm aliqua illarum, quas diximus cæsurarum, quæ cum syllabas suapte natura breues producendi uim habeant, faciunt, ut non Tribrachum, aut Jambum efficere figuratas illas syllabas dicere, sed Dactylum, aut spondæum debeamus, Dactylum quidem, si post cæsuram sequantur breues syllabæ, spondæum

dæum vero, si longæ. Quod item sentio de eo, quem superius citaui, versu & Vergilij.

Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta.

& Lucani.

Dum sanguis inerat; dum vis materna peregi.

Quibus in criminibus Clarus, & sanguis cur vltimam, quæ breuis est, producant, non alia afferri, reddique ratio potest, quam cæsuræ illius, quæ tertia in syllaba versus ius habet. Quamobrem vt Tribrachus, atque Iambus in heroico versu aliter, quàm figuratè positi locum habeant, vti fieri nullo modo posse censeo, sic nusquam in eodem carminis genere Trocheum recipi affirmare minimè dubito: sextus enim pes, idemque extremus quia nonnunquam secundam habet syllabam, quæ versus eadem vltima est, breuem, non iccirco Trocheus esse existimandus est; sed quòd, cum antiquissimis temporibus hexametrum carmen non alios pedes, quam spondæos haberet, vt quinque priores cessere non inuiti sedibus suis cum nonnullis alijs pedibus, tum Dactylo in primis, sic vltimus sexta; nouissimaq; depelli nullo pacto potuit; sed eam, veteris possessionis retinendæ, tuendæq; causa, sic constanter occupauit, atque inuasit, vt ne Dactylo quidem, cuius amicissimus est, ne dum Trocheo, quo cum nullus illi vsus, nulla necessitudo intercedit, concedendam arbitratus sit, quem tanto prosequitur odio, vt suis illum finibus nunquam excipiat: vltima enim cuiusuis carminis syllaba cũ libera sit,

tantaque, quantam illam esse poetæ placet, etiam si in heroo breuis occurrat interdum natura, longa tamen esse putanda est, ne violenter inde, inuitusque extrusus videatur Spondæus: nec, quod hypermeter quandoq; uersus voce clauditur ea, cuius penultima naturaliter correpta est, quæ carminis extrema est existimanda syllaba, cum, quæ sequatur, propter vocalem, vnde, qui sequitur, versus, quævè dictio, initium capit, abijciatur, ideo dicendum est esse vltimum versus pedem Trocheum, non spondæum: nam etiam si illa breuis erat in ea dictione syllaba, nouissimum tamen in metro, carmineq; sortita locum cum sit, qui liber est, naturam mutasse, atque ex breui longam factam esse existimare debemus. Quamobrem nec in illo apud Ouidium quintidecimi metamorphoseos libri.

Et tellus Circæa, & spissi littoris Antium. (Antium namque, non Ancon, legendum est) nec in eo Maronis ex secundo Georgiocorum.

Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida.

Antium, & Horrida quia correpta pronunciantur ea syllaba, quæ vltimam antecedit, Trocheum conficiunt, non Spondæum. Quapropter errasse Nicolaum Erythræũ, quo nemo peritius, ac diligentius de metricis rebus, præceptionibusque disputauit, puto, quòd Trocheo non minus, quàm Tribracho, atque Iambo locum esse in eiusmodi versibus ausus est asseuerare non in sexta solum sede; vbi placet Terentiano ab heroicis metris posse tantum

tum sumi, ac recipi, sed alijs quoque in locis: nam, quæ profert, ac recitat Vergilij carmina ex nono, in quibus Trocheum positum, locatumq; testatur quarta in sede.

Rumpe moras omnes, turbataq; arripe castra. &
Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.

Non satis habent virium ad id, quod vult, conficiendum; quòd cum de vtriusque eorum versuum lectione dubitetur, plures, ac meliores, inprimisque Donatus, ac Seruius, sic è duobus priorem legunt.

Rumpe moras omnes, & turbata arripe castra.

Vt quartus pes spondeus sit, non Trocheus: sicque in codicibus omnibus Vaticanæ Bibliothecæ, in Mediceo, & aliquot alijs perueteribus legi testatur Pierius; hancque lectionem ab eruditis receptam se scribit animaduertisse: alterum vero in Romano codice, Mediceo, & quibusdam alijs idem Pierius confirmat hoc modo legi.

Ferte citi flammas, date tela, & scandite muros

In oblongo vero, Ascendite muros: ac licet dicat esse non ineruditos viros, qui versum pleniorem iudicent, ac numerosiorem, si, Et scandite, legatur; tamen ipse libentius sic illum legit, vt Erythræus; sed hoc ab illo dissentit, quòd Erythræus, Tela, qui pes in eo carmine quartus est, Trocheum esse contendit, Spondæum Pierius; quòd vltimam, quæ naturaliter breuis est, positione credit produci, quam duæ illæ constituant, cõficiantq; consonantes, à quibus, scandite incipit; quas cur positionem facere hoc loco Maronis nolit Erythræus, vti

illo voluit tertiæ Iuuenalis Satyræ.

Contemnit; miseræ cognosce præmia rixæ.

Duas illas, à quibus præmia incipit consonantes, præsertim cum eo quoque suā confirmare opinionem de Trocheo in heroico uersu recipiendo non minus, quàm carmine Maronis posset, equidem ignoro. Nec, quòd apud Vergilium in sexto carmen illud.

Bis patriæ cecidere manus; quin protinus omnia,

Vti nonnulli legunt, in quibus Priscianus est, atque Macrobius, Dactylicum illud esse affirmantes, Dactylo terminatur, à nulla eo, quod sequitur carmen.

Perlegerent oculis, ni iam præmissus Achates.

Vocali incipiente, ideò fit, vt minus vera sit præceptio nostra, qua docuimus vltimum heroici versus pedem non alium esse, quàm Spondæum oportere; primum quòd neque omnibus ea lectio probatur; cum Seruius omnem legat, subintelligens picturam, ceterorum quidam omne, alij omnes; deinde quòd extremæ illæ duæ vocales, altera tertia, altera prima, quibus illud omnia clauditur, atque finitur, quæ quidem breues sunt ambæ, per Sinyzesin in vnam contractæ syllabam, eam conficiunt longam: quod in reliquis item & eiusdem, & ceterorum poetarum versibus, vbicunque id accidit, fieri contendere non dubitarim. Conclusum igitur iam sit & Tribracho, atque Iambo locum esse in hexametro carmine nunquam aliter, quàm figuratè positis, & cæsuris subleuatis, atq; adiutis, & eiusdem cæsuris, figurisq; niti

nullo

nullo modo posse sic Trocheum, vt idem carmen ingrediatur interdum. Quapropter, vbicunque eiusmodi pes in hoc metri, versúsque genere siue occurrit, siue videtur occurrere, ibi longa semper illius pedis secunda syllaba inuenietur, cernetúrq; positione, quam duæ illæ facient simplices consonantes, aut vna duplex, vnde, quod statim sequetur, verbum incipiet semper: quod fieri in Iuuenalis versu, quem modo recitaui, apertè videmus; quodq; item in Vergiliano fiat oportet; si illum, quo modo Erythreo placet, legamus.

Ferte citi flammas; date tela; scandite muros.

Vt tela Spondæum constituat, non Trocheum. Ex quo sequitur, vt alter item Vergilianus nullo modo possit, quemadmodum idem vult Erythræus, legi.

Rumpe moras omnes; turbatáq; arripe castra.

Quoniam Trocheus, qui pes ex duabus vltimis efficitur syllabis vocis illius, turbata, nulla sequentis dictionis positione, nullis consonantibus, neque simplicibus duabus, neque vna duplici iuuatur, vt producat postremam: cæsura vero defendi ideo non potest, quod à breui syllaba metrum illud non incipit, quemadmodum oporteret, si cæsuram ibi esse vellemus, quodque syllaba illa; qua turbata finitur non in imparem cadit sedem, sed in parem, atque octauam, vbi nullum esse cæsuræ ius, nulla autoritas potest. Noster autem versus.

Doctrina proprio prudentia nomine fertur.

Cum

Cum duplici possit ratione excusari, & tritimemeri, qua tertia syllaba natura breuis produci vsitatò potest, & positione, quam duæ faciunt consonantes, à quibus sequens dictio, Proprio, incipit, quare ab erudito quoquam reprehensus sit, non mediocriter miror. Vt finem igitur faciam nostræ huius, quæ in metricis legibus, præceptionibusque posita est, defensionis, si vitium est in carmine heroico, hexametroque, quod iste metricorum coryphæus ausus est affirmare, post spondæum Tribrachum collocare, aut Virgilium, Lucanum, Iuuenalem, Catullum, reliquosque veteres poetas, qui cancellos, ac fines istius metricæ præceptionis ipsius egressi sunt, vitiosos dicat, & errasse confirmet; aut, si summis illis concedit viris, ac poetis, vt sua illa poetica iura, edictaque metrica negligant impune, concedat & nobis, quos illorum autoritas, existimatioque traxit in errorem. Non vidit me hercule Argus iste, non temere, sed consilio factum, vt vtroque in loco, vbi errasse in doctioribus videri poteram, non alio, quàm doctrinæ nomine errarim; vt illo ipso doctrinæ vocabulo monerem ad vtriusque carminis rationem, mensuramque intelligendam doctrina opus esse. Satis hæc, credo, Straccha, forent, si mallem tuis literis respondere, & istud tantum crimen diluere, quod mihi à præclaro isto successore meo obiectum scribis, quàm ceteras cum ipsius, tum reliquorum criminationes refellere, à quibus nostram istic Apologiam reprehensam accepimus: multum enim & sermo-

nibus,

nibus, & literis ad me perfertur, non id solum reprehendisse vestrum istum Aristarchum in illo opusculo, quod ipse ad me scripsisti, sed esse alia quoque nonnulla partim ab eodem, partim ab alijs quibusdam, qui videri sapientes volunt, damnata; quorum alia ad metricam, alia ad grammaticam artem, ac scientiam pertinent; quibus quidem omnibus his vnis, quas ad te dedi, literis visum est respondere, neque illud tantum reijcere, in quo ipse me accusatum à vestro scripsisti doctore, sed illa quoque confutare omnia, quæ vel ab ipso, vel ab alijs obiecta dicuntur: ac licet fortasse grauius fuisset, quæ accusantur, contemnere, quàm responsione digna iudicare, & Apologiam in Apologia excusanda, tuendaque meditari, tamen, quoniam accepi criticum istum insignem nulla magis in re sibi placuisse, de nulla cum crebrius, tum libentius, quàm de erroribus, reprehensionibusque nostræ Apologiæ loqui solitum, in nulla se magis sibi Cæsarem visum, necessario mihi faciendum putaui, vt purgarem ipse me accuratius; ne, si non respondissem, taciturnitas ipsa quædam quasi confessio videretur errorum; nevè, qui me accusatum, reprehensumque scirent, suspicarentur, ac iactarent, non me, quæ obiecta sunt, tanquam vana neglexisse, & non curanda, indignaque duxisse, quibus responderetur, sed non habuisse, quibus ipse me defenderem, diluerem que, quæ contradicuntur. Illud autem, mi Bernardine, non possum non vehementer mirari, cum plures istic fuisse dicantur,

cantur, mihique significentur, qui nostram Apologiam accusarint, criminatique sint, neque vna tantum ista, de qua ipse ad me scripsisti, syllaba peccasse me magnus iste palam prædicarit magister, quare non, quæ à quibus reprehensa, damnataque fuerint, mihi omnia significaueris: si enim putabas decere amicitiam nostram, conuenire meo in te amori, tuæ in me obseruantiæ cognoscere me ex literis tuis, in quibus errasse non ineruditis hominibus visus sum in eo poemate, quod neque dies limauit, neque perfecit doctrina, sed indignatio potius expressit, debebas me hercule, qua in ceteris soles, eadem hac in re diligentia vti, peruestigare sagaciter, inquirere perdiligenter, quæ foret istic, vbi ego in primis illud carmen probari volebam, doctorum sententia, quod sapientis cuiusque iudicium de illo, meq; omnibus de rebus certiorem quam primum facere: quanquam nihil sagaci peruestigatione, inquisitioneque diligenti opus fuit: adeo namque, siue qui me damnarunt, siue, quibus illi nostros detexerunt errores, vulgarunt omnia, quæcunque in nos dicta, eoque in poemate accusata, reprehensaque sunt, ut, quæ me, quanquam absentem, non latuerunt, ea te latuisse præsentem probabile non videatur. Verum ne omnes omnium, successorisque in primis mei, eiusdemque doctoris tui reprehensiones ad me perscriberes, illud, ut arbitror, fecit, quòd uerebaris fortasse, ne non deceret modestum adolescentem, qualis ipse es, visque haberi criminantium voculas,

male-

maledictaque excipere, atque ad eum deferre, in quem congesta sunt, presertim cum non minor tibi amicitia cum nonnullis accusantium, vt puto, quàm cum eo ipso, qui accusabatur, intercederet: vt functus tamen amici, discipulique officio videreris, ea me scire voluisti, quibus quam minimum putabas posse me commoueri, atque offendi. Itaque vna me modo syllaba reprehensum significasti, veritus, ne si in pluribus, atq; à pluribus reprehensum scripsisses, odiosius tuas literas legissem, mihique necessitatem imponeres purgationis non multiplicis solum, sed forsan etiam molestæ, & subdifficilis. Quando igitur ea, qua mihi tantopere carus, probatusque es; modestia impediuit, dehortataque est, ne de omnibus, in quibus errasse visus sum eruditis nonnullis, ad me scripseris, parcam tibi non inuitus; neque tam succensebo, quòd non omnia, quàm debebo, quòd vnum ex omnibus significasti mihi peccatum; ac vitium, quibus iudicatus sum affinis. Sed, quæ ipse me ex tuis literis cognoscere noluisti, ea cum ex aliorum cognouerim, quo modo, quibusvè rationibus diluenda putem, volo te non ignorare; vt, si videbitur, partes istic meas suscipias, meque defendas, retundasq; non tam doctorum, quam maledicorum sermones, eamq; ex defensione rerum nostrarum laudem pares, quam isti se accusando vberrimam paraturos sperarunt: in quibus quidem confutandis, ac refellendis quando à metricis cæpi, pergam & illud inspicere, reijcereq; quod ad metri-

tam item pertinet rationem. Aiunt ab ijs, qui Græcæ linguæ non ignari videri volunt, carmen illud grauiter damnatum.

Demonstras, præbet facilesque Gregorius aures.

Quòd Gregorium huius, qui nunc Christianæ Reip. Princeps est, & maximus, atque optimus Pontifex, nomen prima dixerim correpta, producta secunda: cum contrà faciendum fuisse Græca moneat origo nominis illius, quod à γρηγορέω ductum cum sit, Γρηγόριοσq; Græcè scribatur, non potest non primam producere, corripere vero secundam; quòd cum in ea voce prima vocalis sit η, secunda o micron, transeatq; ad nos vt hæc in o breue, sic illa in e longum, profectò neque prima Gregorij corripi syllaba sine vitio potuit, neque produci secunda. Cuius quidem reprehensionis, & grauis me hercule, & eruditæ quis autor fuerit, licet diligenter quæsierim, nondum tamen accepi: verum, quicunque extitit, doctus, atque intelligens sit, necesse est: nihil enim verius afferri, nihil ἰσχυρότερον poterat. Ac, nequid, quod ad hanc pertineat Gregorij accusationem dissimulem, cum forte Laurus Cataneus, qui superiore, quàm nos, anno Senogalliæ publicè docuit, quique nunc Auximi maxima cum laude doctrinæ, probitatisq; pueritiam, adolescentiamq; bonis moribus, bonisque literis imbuit, atque instituit, carmen quoddam mihi suum legendum, corrigendumq; tradidisset, vsusque in illo esset Gregorij nomine, quo nos modo vsi fuimus, cum ad illum locum, vocemq; Gre-

gorij

gorij peruenissemus legendo, videretq́; me ea aliter, quàm oportebat, vsurpata, positaq́; nihil commoueri, dixit se à Ioanne Antonio Toroneo viro nostrarum, Græcarumq́; literarum peritissimo, cum illi quoq; idem carmen ostendisset, obtulissetq́; emendandum, monitum repugnare Græcæ nominis illius origini Gregorium prima dici correpta, producta secunda syllaba: quamobrem mirari se non parum, quòd homo (vt putarat) Græcæ linguæ non ignarus & ipse eo vocabulo errassem, & mea se autoritate in eundem traxissem errorem: ac, quoniam nulla me ratione ductum, vt id facerem, testabatur sibi persuaderi nullo modo posse, iccirco pro coniunctione nostra petiuit pluribus, vt sibi aperirem, qua me, seq́; excusare ratione non inerudité posset. Respondi, si Græcam nos eius verbi originem, quam latinam esse maluissemus, quo nunc modo duplex in vno, eodemque vocabulo vitium nostrum excusare possemus, vix habituros fuisse: sed quid nos, inquam, cogit, mi Laure, in Græcis potius, quàm in latinis siluis quærere pulcherrimæ huius, ac procerimissimæ arboris radices, cuius tam salutaris, felixque est vmbra? an nescis mille nobis patere vias ad verborum ortus inuestigandos, ac perquirendos? in multorumque originibus demonstrandis, atque aperiendis non paruas esse veterum grammaticorum, doctissimorumque hominum dissensiones? quære à Lælio, Lepus Græcum sit; an Latinum, respondebit continuo, latinum, dictumque quasi leuipes: quære à Varrone, dicet

esse Græcum, eoque vetustissimè vsos Æoles, & quem illi λέπορι dixere, vocasse nos leporem. Pete ab eodem Varrone, vnde furem dictum arbitretur, sine vlla hæsitatione affirmabit ex eo, quòd fures per noctem, quæ furua sit, facilius furentur; furuum autem veteres Romanos dixisse, quod post atrum vocatum est: interroga eadem de voce Gellium; non dubitabit irridere Varronem, quod ortum in latio, non è vetere Græcia oriundum furem putarit. Placet huic ipsi Varroni esse hominem ab humo deductum, quod item probatur Lactantio, displicet autem Quintiliano. Calibes Granius veluti cælites dictos ait, quòd onere grauissimo vacent; at Modestus, quia Cælo Saturnus genitalia absciderit; idcirco vult hoc nomine appellatos, qui vxore careant. Illudit Quintilianus & L. Aelium, quòd pituitam, quia petat vitam, vocatam putauit; & Varronem, quòd agrum, quòd in eo agatur aliquid, & graculos, quia gregatim volent, dictos Ciceroni persuadere voluit; cùm alterum ipse ex Græco manifestè ductum, alterum ex vocibus auium affirmet. Seruius Sulpitius iurisperitorum eloquentissimus, eloquentium iurisperitissimus duplex esse verbum testamentum scripsit, quod ex mentis sit contestatione compositum: sed refellitur primum à Gellio, deinde etiam à Valla. C. Trebatius non minus Ciceronis familiaritate, ac Cæsaris contubernio, quàm elegantissimis in iure ciuili editis monumentis notus, ac clarus sacellũ ex duobus verbis, sacra, & cella arbitratur com-

positum,

positum, quod Gellius simplex esse, & à sacro diminutum contendit. In postliminio idem Seruius (vt Cicero arbitratur) nihil putat esse notandum, nisi post, et liminium illud productionem esse verbi vult, vt in finitimo, legitimo, æditimo non plus inesse timum, quàm in meditullio tullium: Scæuola autem Publij filius iunctum putat esse verbum, vt sit in eo & post, & limen: vt, quæ à nobis alienata sunt, cum ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limine exierint, dein, cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Vterer in re perspecta non necessaria oratione, si vellem in hac grammaticæ parte, quam Græci etymologiam vocant, ostendere, quantum sibi docti homines semper assumpserint, quantum suis indulserint ingenijs: vt iam verear, ne, quod de Vestibulo à Varrone dictum refert Seruius, id latius pateat, referrique ad omnium possit verborum origines: inquit enim Seruius negasse Varronem vestibulum etymologiæ proprietatem habere, sed fieri pro captu ingenij: itaque alijs aliam placuisse eius verbi originem esse: nonnulli enim id à Vesta, cui ianua sacrata est, fluxisse credunt: quidam ex eo, quòd vestiat ianuam: alij, quòd ibi nemo stet: alij, quòd qui ædium dominum salutaturi accesserant, ibidem diutius starent, moramque traherent. Intellexit Varro omnem hanc doctrinam verborum origines, principiaque indagandi ingenio magis, quàm scientia contineri. Quamobrem, vt ipse vestibuli, sic nos Gregorij ortum pro captu

ptu fieri, ac fingi putemus ingenij: ac, cum tam multa sint, quæ licet Græca esse perhibeantur, volunt tamen grauissimi viri, inprimisque Varro ipse esse latina, credamus sapientes homines veniam nobis non inuitos daturos, si eum, qui Latinæ, Romanæque præest Ecclesiæ, maluimus Latinum, quàm Græcum esse Gregorium, & à grege, quem pascit, quàm à vigilando dictum, non quod vigilans non sit vigilantissimus ille senex, ac pater optimus, qui cum ceteris scientijs omnibus, tum precipuè eruditis iuris ciuilis vigilijs singulari vitæ innocentiæ, sanctitatique coniunctis, eo dignitatis sublatus est, vt, quo altius conscendat, nullus sit in terris gradus; sed quòd, cum vigilantiam eius peruigil Draco significet, quo, vt Iupiter fulmine, Neptunus tridente, sic ipse insigni vtitur, vt suam nobis incredito, commissoque sibi, suæque fidei grege curando, custodiendoq; curam, diligentiamque faceret testatiorem, munus ei ouium pascendarum ab eo mandatum, ac traditum, cuius vicarius est, Gregorij nomine innui, declararique non insulsè (vt arbitror) volui. Nec dubito, quin si sanctissimus, ac beatissimus ille pastor interrogetur, vtrum Latinus, an Græcus esse Gregorius velit, & à grege malit, an à vigilando appellari, responsurus continuo sit, nihil se neq; fecisse, neque dixisse vnquam, quare Græcus, quàm Latinus, Catholicusq; existimari, & vigilans, quàm pastor dici debeat; præsertim cum non possit non esse vigilans, quicunq; pastoris nomine dignus est; cum non omnes

nes

nes contra vigilantes gregem adepti sint, & pastores ap-pellentur: vigilant enim non pastores modo, sed etiam agricolæ, nautæ, milites, imperatores, patresfamilias, oratores, poetæ, ceteraque doctorum hominum genera, in primisq; Astrologi, quorum omnia fere studia in nocturna tempora necessario conijciuntur. Ex quo sequitur, ut vigilare commune sit multorum, pascere vero non nisi pastoris, eiusque potissimum pastoris, qui munere fungitur illius, cui mandatum à pastorum præside, diuinoq; magistro fuit, vt, si se amaret, suas pasceret oues, perinde atque Petri, eorumque omnium, qui Petro successuri erant, illud primum, ac maximum, maximeque necessarium munus, officiumque sit, vt, cum se Gregorios esse intelligant, idest, Christiani gregis magistros, ac pastores, excubent, vigilentque pro ouibus, ne illas sinant à lupis dissipari, ac dispergi, ne à furibus per insidias surripi, ne infici contagione, vt lætis uerbi, exemplique pabulis refectas, ac pastas malit tondere, quàm deglubere. His ego tunc rationibus Cataneum docui, quo modo posset meam, suamque agere causam, Gregoriumque nostrum ab omni erroris, iustæque reprehensionis metu vindicare: iisdem volo te istic, Stracchа, uti, si quando in quenquam incides, qui adeo latinitatis hostis sit, vt, quæ voces nostræ esse non recusant, neque indignantur latinæ dici, eas Græcas uideri uelit. Jn quo illud etiam te monitum uelim prius, quàm abeam hoc loco, alioue sermonem conuertam,

non solum in nominibus, sed in appellationibus rerum, earumque syllabis siue producendis, siue corripiendis non admodum latinos poetas Græcas curasse origines: eiusque rei exemplo esse potest poetarum princeps Vergilius, qui & Epitiden Comitem, custodemque Ascanij, Græca repugnante origine, quæ est (vt reor) ab ἐπιτηδείου penultima dicit correpta.

Epitiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem.

Et electrum bis prima posuit breui; etiam si vox illa Græca cum sit, incipiatque ab η, quæ vocalis in ę vertitur longam à nostris, vt supra docuimus, producere primam debebat: alterum è duobus carminibus, in quibus id factum videmus, est octaui Aeneidos.

Quod fieri ferro, liquidove potestur electro.

Ac licet de eius carminis lectione à nonnullis dubitetur, qui, ne primam electrum corripiat, Potest, legunt, non Potestur, vt pro Dactylo quinta Sedes spondæum accipiat; tamen Nonius Marcellus, & Priscianus, Politiano, qui contrariam tuetur sententiam, ut antiquiores, ita & doctiores electro commoti non sunt, ut legere Potest; quàm Potestur maluerint. Quare non possum non mirari Pierium, qui licet fateatur in codicibus aliquot antiquis Potestur integrum reperiri, in aliquot autem duabus vltimis literis abrasis, tamen recentem Politiani unius lectionem magis, quàm antiquorum duorum cum ueterum, tum eruditorum grammaticorum retinendam nulla alia de causa putat, nisi ut duo declinentur

nentur uitanda, alterum Potestur, quòd uerbum post Lucretij tempora iam obsoletum dicit, alterum Electrum prima correpta, quæ natura longa est; sed in utroque decipi illum affirmare minime dubito: nam neque priscorum latinorum uerba, quanquam ab usu temporis sui remota, sic exhorruit poeta vetustatis amantissimus, vt non illis sæpe maiestatem, & venerationem quandam suis carminibus conciliarit, atque attulerit; quemadmodum monstrarem pluribus, nisi à Quintiliano, Pontano, Erythræo, alijsque permultis eruditissimis hominibus abundè monstratum esset; neque electrum sic pertimescendum summo iudicio, diuinoq; ingenio vir existimauit prima dicere correpta, vt non ποιητικώτερον facturum poetam innuat, si vt in ceteris artibus, sic in hac ipsa, de qua loquimur, scientia quædam se scire dissimulet, quæ teneat, quàm si ostentet: principes quoque grammaticorum cum pluris Vergilianam autoritatem esse voluerunt ad primam Electri syllabam corripiendam, quàm Græcam verbi originem ad producendam, videntur significasse has Græcorum nominum compedes homini latino, atque poetæ non esse vsque quaque formidandas, præcipue cum viderent constans iudicij sui testimonium Mantuanum Homerum versum illum in Ciri, Iuuenili ad Meßalam lusu esse voluisse.

Coralio fragili, & lachrimoso mouit electro.

A quo tamen recentium grammaticorum audacia omnia potius inscitia corrumpentium, quam corrigentium, li-

eentiaq; temporum nostrorum, verita, ne capitale facinus admisisset Vergilius, si electri primam corripuisset, verbum sustulit, Mouit, carmenque non ignobile solum, veteriq; venustate spoliatum, sed etiam lacerum, mutilatumq; reliquit, in deformen coniectum hiatum. In quo quidem versu explicando vt laudo Ascensium plurimum, quòd sic illum legit, quemadmodum in omnibus antiquis, ac manu scriptis, quos hactenus vidi, codicibus legitur.

Coralio fragili, & lachrimoso mouit Electro.

Sic non possum non reprehendere, quòd in octauo Politianum magis, quàm Marcellum, Priscianumq; secutus, Potest, non Potestur, legendum censuit. Chorea autem non ne exploratum est, Græcum esse verbum, & diphthongum habere ea? at eo tamen Maro penultima vsus est breui eo sexti Æneidos versu Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt. Corripimus etiam primam crepidæ, licet Græcè κρηπὶς *dicatur. His credo rationibus magis, quàm ignorantia (quemadmodum putat Hermolaus) Græcarum literarum ductum Sidonium non ignobilem poetam, vt Chtesiphonta prima, Euphemiam secunda dixerit correpta, licet e sit in vtroque ab η deducta. Sed quando iam habes, & quidem pluribus fortasse, quàm oportebat, qua causa ductus sim, vt Gregorij primam corriperem, producerem secundam, cetera, quæ obijciuntur, cuiusmodi sint, inspiciamus: quæ quidem omnia ad grammaticam pertinent, loquendique*

rationem,

rationem, quorumque primum illud est, quòd in epistola, qua opusculum illud Christophoro Boncompagno dicaui principi non minus erudito, quàm humano, nepotem dixerim pro filio fratris. In quo Hercules Brancutus singularis philosophus, & publicus Senogalliensum medicus, mihi summa familiaritate coniunctus adeo me grauiter errasse renunciauit visum nonnullis, vt excusari dixerint nullo modo posse locum illum, quo minus barbarismo laboret; quòd nepotes non alios dici latinè contendunt, quàm filiorum filios, non filiarum etiam; aut fratrum, siue sororum. Hoc ij, quorum mihi nomina indicare, aperireq́, Brancutus noluit, vt tam intrepidè, tamque constanter affirmarint, reor impulsos veterum quorundam grammaticorum autoritate, qui quidem & si non negent filiæ, fratris, sororisq́; filium nepotem dici; tamen aut apertè testantur, aut non obscurè significant filium filij nepotem appellari. In sij Diomedes Grammaticus & diligens, & eruditus numerari certe non potest: scribit enim nepotem significare, & certum cognationis gradum, & consumptorem: sed, qui certus ille gradus sit cognationis, qui nepotis nomine vocetur, non explicat: at explicat Priscianus: libro enim secundo, dum vellet ostendere habere locum omonyma non in nominibus solùm, sed etiam in appellationibus, inquit & Pyrrhum, & nepotem esse omonyma; quòd Pyrrhus tam Epirotarum Rex, quam Achillis filius dicatur; & nepos sit tam filius filij, quam luxuriosus.

Idem, sed obscurius videtur Festus sentire: nam, caussam afferens, cur luxuriosus nepos appelletur, sic inquit. Nepotes luxuriosæ homines vitæ appellati, quòd non magis his rei suæ familiaris cura est, quàm ijs, quibus pater, auusque viuunt. Quibus quidem verbis quamuis commune Festus nepotibus cum filijs morbum esse velit, vt, quarum rerum administratio ad ipsos non pertinet, eas res non curent, nec suas ducant, neque, quo modo parta si minus augeant, atque amplificent, saltem seruent, ac tueantur, quærant; sed quo modo surripiant, domumq; euerrant, & per luxum, ac libidinem omnia dissipent, atque obliguriant; tamen prodigi, atque effusi homines non filij nominati sunt, sed nepotes; perinde ac nepotum tantum, non etiam filiorum vitium sit in non necessarijs vitæ vsibus opes maiorum industria comparatas insumere, atque effundere. Itaque per similitudinem factum innuit vir doctus, ac sagax, vt, dissoluti, & perditi qui sunt, nepotes nominentur. Verum, quoniam non omnes nepotes possunt rem auitam luxuriosè dissipare, atque profundere, sed illi tantum, quos filius genuit, non illi etiam, quos peperit filia, quòd cum paternis, non cum maternis auis esse, viuereq; nepotes solent, ideo Festus, cum non plus curare luxuriosos homines dicit res suas, quàm, quibus auus viuit, non de quocunque auo intelligat oportet, sed de paterno tantum: quare filios filij, non filiæ quoque nepotes appellari significat: vt eadem Festi opinio sit, quæ Porphyrionis Horatij in-

terpretis

terpretis & veteris, & eruditi: nam hic quoque ait nepotem veteres prodigum, & luxuriosum dixisse, quia re vera solutiores, delicatioresque victus soleant esse sub auo nutriente. Sed, quia nutrit auus nepotes eos solum, qui ex filio nati sunt, ideo fit, vt Porphyrio nepotes eosdem esse voluerit, qui Festo, Priscianoq; visi sunt, idest, qui ex filio nati sunt. Hi, credo, grammatici, literatique viri reprehensores nostros impulere, vt iudicarent nepotem pro filio filij rectè dici, pro filiæ vero, aut fratris, ac sororis imperitè, ac barbarè. Sed nunquid, quoniam hi omnes, quos commemoraui, recitauiq;, grammatici nepotes eos esse vel dicunt, vel innuunt, qui ex filijs oriuntur, propterea existimare debemus, voluisse eosdem, neque, qui ex filia, neque qui ex fratre, aut sorore nati sunt, nepotes vocari? Hoc modo si scriptorum verba interpretabimur, vt, quod non dicunt, id negare illos intelligamus, quis non videt multa absona, atque absurda in omni scripturarum genere secutura? adeo igitur peruerso, præpostero q; iudicio erimus, vt, si quempiam audiamus Horatium Doctum appellantem, egregiumque poetam, continuo eundem suspicemur negare Vergilium? dixere literati viri, sed alij palam, alij obscurius esse nepotem filium filij, non dixere filiæ, fratris, sororis; an, quia non dixere, negauere? audebimus igitur affirmare barbare locutum, quicunque pro alio, quàm pro filio filij nepotem vsurpauit? atque dixit? hac si erimus sententia, non ne cogemur principes latinæ linguæ

poetas,

poetas, & eruditissimos sæpe viros rusticitatis, inscitiæque accusare, quorum alij pro filiæ, alij pro fratris, alij sororis filijs nepotes dixere? sit ergo barbarus Horatius Latinorum omnium poetarum latinissimus, qui Mercurium ex Maia genitum Atlantis filia nepotem vocat Atlantis.

Mercuri facunde nepos Atlantis.

Quem quidem Atlantem qui nescit maternum fuisse Mercurij auum, ex eo discat Vergiliano.

Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

Sit & Ouidius non poeta modo, sed & eques Romanus, cuius carmen est.

Sæpe pater dixit. Debes mihi nata nepotes.

Possem alijs permultis è priscis poetis, scriptoribusque Latinis sumptis, petitisq; exemplis probare esse, diciq; nepotem non solum filij, sed etiam filiæ filium, nisi epistolam scriberem, non volumen, satisque esse iudicarem ad id docendum nobilissimorum poetarum, quorum carmina recitaui, testimonia. Sed expugnati veterum poetarum autoritate recentes isti latinitatis magistri, ne barbaros illos dicant, qui nobis sunt puri, emendatiq; sermonis magistri, atque autores, vt fortasse extorquentibus concedent esse nepotem eum, quem filia edidit, veluti quem filius genuit, ita pernegabunt pertinere id nomen ad fratris, siue sororis filium: verum æquo hoc quoque animo ferant, concedantque oportet, nisi velint doctissimos homines rusticos appellare, & latinitatis di-

tis dicere ignaros; quorum satis habebo, breuitatis cau sa, nonnullos nominare, citareque testes, ne si velim omnes, probandi solicitudine rem, quæ apertior est, quàm vt multis egeat testimonijs, suspectam faciam. Nostine Platinam, Bernardine, eum, qui Romanorum Pontificum vitas, ac gesta elegantissimo stylo est persecutus? quique multa edidit opuscula plena eruditionis, ac doctrinæ? is igitur Platina humili quidem loco natus, sed propter ingenium, bonarumque artium cognitionem, ac sientiam Romanæ aulæ principibus, apud quos magno semper in honore fuit, iucundissimus, eruditis omnibus Pontificibus carus, omnium ætatis suæ sapientissimorum virorum laudibus commendatus in Innocentio sexto sic inquit. Bernabos, & Galeacius ex Luchino fratre nepotes patrui hæredes fuere: in Calisto tertio. Calistus autem, sedatis Italiæ rebus nouem Cardinales creat; quorum duo ex sororibus fuere, eius nepotes: & in Paulo secundo. Is enim Eugenij Pontificis ex sorore nepos. Raphael Volateranus vir multæ lectionis, multæque elegantiæ in Sixti quarti Pontificis rebus gestis, vitaq; narrat eum Pontificem cum ceteros permultos, tum Raphalem in primis Sauonensem Hieronymi fratris ex sorore nepotem Cardinalem creasse: & Pium tertium Pij secundi ex sorore nepotem dicit. Donatus Acciaiolus, quo nemo ad nostram vsque ætatem Aristotelis de moribus ad Nicomachum libros latine melius, elegantiusq; explicauit, capite libri septimi tertiodecimo, dum de

Speu-

Speusippo loqueretur, fuisse illum scribit Platonis ex sorore nepotem. Paulus Iouius æque grauis, atque elegans, disertusque historicus historiarum sui temporis libro septimo, atque vigesimo Saluiatum, Ridolphumq; Cardinales Pontificis Clementis ex patruelibus nepotes vocat his verbis. Ab hac ara duarum turrium nuncupata duo Diaconi Cardinales, Saluiatus scilicet ipse, & Ridolphus ambo ex patruelibus Pontificis nepotes ad templi limen deducunt. Natalis Comes cum eruditissimus, tum elegantissimus scriptor Mythologiæ capite secundo libri secundi de Titane, & Saturno agens sic loquitur. Tanta fuit & patrui crudelitas in nepotes, & patris feritas in filios ob furiosam regnandi cupiditatem. Liuiana Epitome libri centesimi sextidecimi sic in omnibus habet codicibus, qui hactenus ad meas manus peruenere. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octauius ex sorore nepos, & in nomen adoptatus est. Quem quidem locum quare corruptum, deprauatumque suspicatus sit primum Pierius, deinde etiam Carolus Sigonius, equidem nescio, præsertim cum; quod ibi traditur, apud alios multos legatur scriptores veterum historiarum, maximè vero Græcos. Pierius enim super illo Vergiliano.

Alter Atys, genus vnde Atyi duxere Latini.

Cum videret placere Seruio id à poeta dictum propter Attiam Augusti matrem, vt maternum quoque genus Principis illius antiquum; nobileque esse ostenderet, in-

quit

quit de matre Augusti non idem Græcos, ac latinos sentire: nam, licet illam omnes Attiam vocatam ferant, ac scribant; tamen latini hanc ipsam Attiam Iuliæ Cæsaris sororis filiam extitisse commemorant; Græci vero eiusdem Cæsaris sororem, non sororis filiam: hanc enim Attiam Octauiani matrem ex Balbo, & Iulia Cæsaris sorore genitam Suetonius scribit. Verum Dionysius Historicus libro quadragesimo quincto dum de Octauio Augusto loquitur, inquit, sic enim Attiæ Cæsaris sororis filius vocatus est. Sed putat Pierius, vt in Liuiana Epitome, sic in Græco Dionysij codice mendum esse, & pro ἀδελφῆς ἀδελφιδῆς *legi oportere, idest, pro sorore neptis ex sorore: & si nō negat legi eadē apud Plutarchū in Cicerone, & à Dionysio, Plutarchoq; non dißentire, quod in Liuiana libri centesimisexti perioche (sic.n. vocat Epitomen) scriptum est, eaq; recitat verba, quæ nos supra recitauimus. Quibus rebus ductū Seruiū existimat, ut scripserit Augustū ex sorore Iulij Cæsaris natum. sed veterē ipse codicem Liuianæ perioches habere tradit, sororis nepos, non ex sorore; id, quod cum Suetonio cōgruit. Quibus quidē in uerbis Pierij tria sunt, quæ animaduertēda putē, primū quòd erratū est in numero libri eius, cuius periochen citat, verba.n. illa de Octauio Cæsaris ex sorore nepote sunt ex Epitome nō cētesimisexti, vt legitur apud Pieriū, sed cētesimisextidecimi: uerū hic forte error impressoris est, nō Pierij; alterū, q̄d eo Seruij loco, quo ipse monitus est, vt de Augusti matre disputaret, q̄ de Seruio tradit, nō legūtur: ibi*

enim ille meminisse tantum poetam ait de Aty propter Attiam Augusti matrem; sed Attiam sororem fuisse Cæsaris, aut Augustum ex sorore Cæsaris natum. quo Seruius loco dicat, non docet Pierius: dicit autem super illo sexti.

Augustus Cæsar, Diuum genus inclyta proles.

Ait enim poetam Diuum genus Augustum vocasse propter Cæsarem, qui factus est Deus; idq; illum dicere non solum iure adoptionis, sed etiam consanguinitatis: nam Attiæ fuit filius, quæ erat soror Cæsaris: tertium, quòd, cum in omnibus codicibus, quotquot hactenus à me inspecti, lectiq; sunt, locus ille eius siue Epitomes, siue Periochês Liuianæ habeat ex sorore nepos, quæ causa sit, cur hæc quoque lectio Pierio non probetur, equidem non video; præsertim cum hæc item opinio magnos habeat autores, Plutarchum, Dionysium, Dionem; quorum omnium Græcos codices asserere mendosos esse, ac deprauatos, nimis magnæ est audaciæ: quanquam, quod ad Plutarchum quidem pertinet, cum diuersis in locis de Augusto loquatur, &, quo Cæsarem cognationis gradu attigerit, demonstrat, inconstantior est magnus ille autor, nobilisque historicus; & non nunquam Octauium sororis Cæsaris ipsius filium fuisse tradit, interdum vero neptis ex sorore: namque in Cicerone sic de illo ait. Erat ille Octauio patre, qui vir non valde clarus fuerat, ex Attia sorore Cæsaris ortus: ex quo Cæsar liberis carens, facultates suas, domum, fami-

liæque

liaque nomen testamento illi reliquit. Et in Antonio de eodem agens inquit. Dum hæc Romæ geruntur, C. Cæsar adolescens sororis filius, quemadmodum ferebatur, hæres à Cæsare scriptus, ex Apollonia redijt. Verum in eodem Antonio Paulo superius hæc leguntur. Post illum (agit autem de C. Cesare) D. Brutus sequebatur, & C. Octauius neptis suæ filius, qui postea Cæsar dictus est, & plurimum tempus Romanis imperauit. Et in Bruto. Hic erat filius filiæ sororis Cæsaris, & testamento Cæsaris in filium adoptatus relictus. Citaui Latina, non Græca Plutarchi verba, quòd Græcus mihi eius autoris liber non est: verum tamen, quoniam in illis si quis est error, non in latinis interpretum, sed in Græcis est scriptoris ipsius, ideo nihil referre ratus sum, vtrum Græca, an latina recitarem. Sequitur igitur, vt, cum totidem locis Plutarchus Augustum sororis Cæsaris filium extitisse testatus sit, quot filiæ sororis, dubitari potius, quàm dijudicari certe possit, vtri loci vitiosi, mendosique sint, quibus ne traditur fuisse Octauius Cæsaris ex sorore nepos, an quibus scriptum est extitisse eundem sororis Cæsaris nepotem ex filia. Illud quidem perspicuum est, ex locis, quos recitauimus eius historici ipsis secum pugnantibus licere Pierij, Sigonijque negligentiam animaduertere; quòd, cum scribat vterque à Plutarcho dictum Attiam Octauij matrem Cæsaris sororem fuisse, vno id alter ex Cicerone, alter ex Antonio loco probat, cum posset vterque ex vtroque: quod qui-

dem alium alia de causa fecisse puto, Pierium, aut quòd non animaduertit fortasse, quæ in Cicerone à Plutarcho traduntur de Attia, eadem legi apud eundem in Antonio, aut quòd, si animaduertit, vnum tantum putauit locum ad id, quod proposuerat, probandum satis esse, eumque ex Cicerone, cui quidem vllum inueniri apud eundem autorem locum, qui aduersaretur, certe non vidit; quòd, si vidisset, non tacuisset me hercule; Sigonium vero, quòd forte verebatur, ne, si ad idem probandum vsus loco fuisset eodem, quo antea Pierius vsus fuerat, videretur ea, quæ de Attia dicit, sumpsisse ex Pierio, non ipsum primum vidisse, ac notasse, quemadmodum videri voluisse ex eo cognoscitur, quòd cum iisdem in rebus versatus fuisset Pierius, nihil de illo meminit: verum iis, quæ à Plutarcho de Attia dicta, proditaq; esse in Antonio memorat, quæ eadem sunt cum iis, quæ legi in Cicerone apud eundem monuerat Pierius, repugnare vnum quidem in Bruto locum perspexit, alterum certe in eodem Antonio non perspexit; non enim, si perspexisset, quæ viri diligentia est ceteris in rebus, non monuisset; præsertim cum admirabilius fuisset futurum eodem in Antonio insignem historicum tam diuersa, seu potius aduersa eadem de re prodidisse, Cæsaris & sororem, & sororis filiam fuisse Attiam Augusti matrem. Quæ quidem eadem in re narranda, commemorandaque inconstantia neque in Dionysio deprehenditur, neque in Dione, neque in Appiano, neque in

ullo alio (quod sciam) siue Græco, siue latino scriptore. Quamobrem in re tam vetere, varieq; iactata, traditaq; à maioribus non temere pronunciabo (quod Sigonius facit) portentum dicere, qui dicit Augustum ex Attia Cæsaris sorore natum fuisse. Sed quoniam in vetustis rebus, & à memoria nostra longe remotis non alia licet nobis sentire, ac dicere, quàm quæ apud veteres leguntur autores, scriptoresque illarum, profectò, cum utrunque de Augusti matre Attia legatur apud antiquos, neque maioris, qui hoc, quàm qui illud tradunt, fidei sint, ampliabo potius rem, quàm iudicabo. Quanquàm, quòd ad eum, quem commemoraui, locum Epitomes pertinet Liuianæ, veram, rectamque illius esse lectionem eam, quam nos probauimus; non quam Pierius, atque illum secutus Sigonius amplexati sunt, sequentis libri aperit Epitome, vbi Octauij Cæsar auunculus dicitur: qua ex voce intelligi non obscurè potest ex sorore Octauium Cæsaris, non ex sororis filia ortum voluisse eius Epitomes autorem: cum enim auunculus non alius sit, quàm matris frater, profectò, si auunculus fuit Cæsar Octauij, Attia eiusdem mater Octauij soror fuerit Cæsaris necesse est; quòd si, non soror, sed filia fuisset sororis, non auunculus nudè, ac simpliciter, ambigueque, sed maior auunculus dictus Cæsar fuisset Octauij: nec, quòd quandoque Suetonius auunculum item Cæsarem vocat Octauij, non adiecto siue magni, siue maioris apposito, licet Attiam non sororem

con-

confirmet Cæsaris fuisse, sed filiam sororis; ideo auunculus cum dicitur, de maiore quoque dici auunculo aut posse, aut consueuisse probabile est: Suetonius enim cum sæpius auunculum nominet Cæsarem Octauij, primo illi loco maiorem cum adiecisset, non putauit ceteris in locis, vbicunque Cæsar Octauij nominabatur auunculus, oportere auunculo eandem apponere vocem maiorem, veritus, ne subabsurdum, aut putidum foret, si, quotiescunque auunculus Octauij Cæsar diceretur, semper auunculo maioris Epithetón adiungeretur; cum satis fuisset ad ambiguitatem tollendam, demonstrandumque, qui auunculus fuerit Cæsar Octauij, primo quoque loco auunculo maiorem apposuisse. Epitome vero Liuiana cum non alio, quàm vno illo centesimi septimi decimi libri loco Cæsarem auunculum vocet Octauij, profectò, si eius operis autor ex filia voluisset sororis Cæsaris, non ex sorore Octauium natum, non illius auunculum Cæsarem nominasset, sed maiorem auunculum. Corrigat igitur antecedentem sequens Epitome, & ex eo, quòd auunculus dicitur Octauij Cæsar, intelligatur superiore Epitome dictus Octauius Cæsaris ex sorore nepos, non sororis. Hoc credo loco in primis Epitomes huius ductus est Dionysius Lambinus vir nostri temporis cum doctissimus, & antiquarum rerum, historiarumque peritissimus, tum eloquentissimus, vt in vita Ciceronis veterem sequi eius loci lectionem, quam nos veram esse, & germanam defendimus, quàm Pierij, Sigonijq; maluerit:

luerit: nam & Octauium sororis Cæsaris filium dicit; et Cæsarem Octauij nominat auunculum his verbis. Octauius adolescens C. Iulij Cæsaris sororis filius, qui tum erat Athenis hæredem se Cæsaris auunculi professus, & c. neque summus vir, quo minus id de Octauio, Cæsareque traderet, ac scriberet, quod à multis traditum, scriptumque legerat Romanorum rerum scriptoribus deterritus eo est metu, quòd, qui id diceret portentum dicere affirmarat Sigonius, cuius ea in re leuiorem duxit autoritatem, quàm vt verba sibi hominis spectanda potius, quàm rem ipsam putarit, dignitatemque, ac fidem eorum, qui, quæ Sigonio non probantur, tradiderant. Verum, quòd ad nostram de nepote opinionem confirmandam plurimum facit, neque Pierius, neque Sigonius eo vtitur argumento, vt probet Liuianam Epitomen corruptam esse, & legi non nepos ex sorore, sed nepos sororis debere, quòd nepos, qui ex sorore natus est, latinè dici non possit: quo quidem argumento quoniam res poterat egregiè confirmari, atque aperiri, profectò aut vterque, aut alter vsus fuisset, si existimaßet nepotem pro fratris, aut sororis filio dici latinè nequaquam posse. Sed quid testimonijs, coniecturisque rem confirmo, doceoque latinè dici etiam nepotem eum, qui ex fratre, aut sorore natus est? non ne hoc patrui, auunculique nomina, ad quos eiusmodi referuntur nepotes, planè ostendunt? quid enim aliud patruus est, quàm ferè pater? & auunculus, quàm alter quasi auus? Si ergo filius non

nisi

nisi eius, quæ illi est ad patrē, affectionis nomen est, nullumq; aliud habemus vocabulum, nisi nepotis, quo possimus eam, quæ ad alios est, qui, post patrem, maxime coniuncti sunt, affectionē notare, cur non nepos ad patruum, auunculumque æque recte dicetur, vti ad auum? Verum, quoniam multi sunt, præsertim inepti, atque ineruditi homines, quales illi esse solēt, qui in bonorum scriptorum lectione non admodum versati sunt, qui non tam rationibus, quàm traditionibus grāmaticorum mouentur, quiq; non aliud latinum putant, quàm quod apud aliquem ex eo numero legere, his etiam vt satisfaciam, eruditissimi grammatici autoritate probabo eos quoque latinè appellari, dicique nepotes, qui ex fratribus, sororibúsque orti sunt. Legisti ne vnquam, Straccha, venustissimos illos commentarios, quibus non minus latinam linguam locupletaui, quàm Martialem illustrauit doctissimus ille Sipuntis antistes Perottus, quosque cornucopiæ nomine iure, meritoque inscripsit? is & Pontifex egregius, & scriptor politissimus de nepote hæc scribit. Nepos est propriè filij nostri filius, cuius filius pronepos est, huius abnepos, cuius & nepos; nepotes tamen aliquando etiam fratrum, & sororum filij dicuntur. Vnde & illis germani matrum sunt auunculi quasi parui aui: sed nunquam de his simpliciter dicitur nepos; verum additur ex fratre, vel sorore; vt nepos ex fratre, nepos ex sorore. Scio, quid hoc exclamabunt loco aduersarij nostri, & verborum latinorum doctores eximij, ne omnino victi videantur:

tur:

tur: dicent non seruasse me Perotti præceptum, neque, cum Christophorum Boncompagnum Pontificis, Gregorijq; nepotem vocaui, adiecisse, quod ille monet adijciendum, ex fratre: id cur non feci, ea causa fuit, quòd, cum Pontificem ibidem illius patruum appellem, dubitari, ambigiq; non poterat, nepos Gregorij Christophorus ex fratre, sit, an ex sorore. Attingit ergo nepos (quemadmodum planè vides, probatumq; est pluribus) non auum solum tam maternum, quam paternum, verum etiam patris, matrisque fratrē: sic tres hi auus, patruus, auunculus cum vno conferuntur nepote, vti cum filio pater tantum, cum liberis vero (quo vocabulo contineri non filios modo, ac filias, sed nepotes ēt, ac neptes, & pronepotes, ac proneptes, ceterosq; qui ex illis descendunt, tā mares, quā feminas celeberrimi tradunt Iurisconsulti) non pater solum, sed auus ēt, patruusq; paternus veluti cum seruo dominus, cū liberto patronus. Quod quidem cum fusius probatum, demonstratumq; sit, iam ad reliqua pergamus; quæ licet faciliorem habeant responsionem, atque solutionem, tamen, quoniam refellere parati sumus quicquid siue scienter, siue imperitè obiectum est, & propter latinæ linguæ ignorantiam, redarguamus hæc quoque, quæ non stomachari difficilius est, quàm reprahendere: quæ quidem criminationes quoniam in eodem genere versantur omnes, omnesque in puritate, emendationeque sermonis, latinitateque positæ sunt, non tam rationibus, argumentisque confutandæ sunt, quàm

veterum latinorum, eorumque in primis, qui purè locuti perhibentur, testimonijs, atque autoritatibus: cum enim linguæ omnes, & quæ vigent, ac florent, suntque in vsu quotidiano, ac vulgari, & quæ intermortuæ, excisæque cum sint, latitant in antiquis monumentis quasi sepultæ, illisque tantum perspectæ, notæque sunt, qui in discendis, cognoscendisque antiquorum sermonibus, linguisque elaborarunt, vsu potius, quàm ratione, aut etiam autoritate contineantur, profectò non aliud in quauis lingua verbum pronunciare, ac dicere fas erit, quàm quod in consuetudine esse frequenti, aut fuisse, docere, demonstrareque poterimus: neque tamen negarim in ijs, quæ viuunt, linguis licere interdum nouas voces comminisci, noua excogitare, conformareque vocabula; quod in latina, cum vigebat, fecit non Cato solum, & Ennius, qui (quod Flaccus testatur) sermonem patrium ditarunt, & noua rerum nomina multa protulerunt, sed etiam Cicero. Illud addo præterea esse quandoque locum in ea, qua vulgo vtimur, lingua peregrinis quoque, atque externis dictionibus, si eæ ab aliquo ad nos aduectæ, comportatæque cum sint illis ex prouincijs, vbi dominabantur, erantque vsitatæ, non indignæ nostris hominibus visæ sunt, quæ recipiantur, quasi ciuitate donentur; cuiusmodi nonnullæ sunt in veteri, priscoque Romanorum, latinorumque sermone. Sed in antiquis, desitisque iam vti publicè, populariterque linguis, quæ in vsu fuerint

voca-

vocabula apud eas gentes, quæ illis vulgo vtebantur, non nisi ex illarum possumus scriptoribus intelligere. Quamobrem eo versu.

Verum, qui ignorat, qua semita aditur olympus.

Vtrum latinè, vti ego iudicaui, an barbarè, quemadmodum putarunt nonnulli, à me dictum sit, aditur olympus; non ea forma, qua à Marone. Itur in antiquam Siluam, neque illa, quà ab eodem.

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Sed illa, quem tertium esse modum Quintilianus affirmat, quale est. Vrbs habitatur, campus curritur, mare nauigatur, veterum queso vsu, autoritateque indicemus, ac statuamus, videamusque, vtrum, quæ à verbo eo, quod neutrum esse, dicique volunt grammatici, deducta, compositaque verba sunt, cuiusmodi esse non ignoramus non modo adire, sed subire quoque, inire, transire, obire, præterire, liceat patiendi voce in tertijs vtriusque numeri personis pronunciare: ac de subeundo quidem ne dubitemus, in carmine Iuuenalis, in oratione Cicero facit: ille enim sic sextamdecimam Satyram incipit.

Quis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? nam, si subeantur prospera castra.

Huius autem actionis in Verrem sextæ libro quincto hæc verba sunt. Parùm ne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ. Et infrà. Inimicitiæ sunt, subeantur: labores, suscipiantur. Et in ijs,

qui sunt de natura deorum, libris. Nequid inuidiæ subeatur, aut criminis. Sed longum, ac molestum potius, quàm necessarium foret locos omnes enumerare, vbicunque summus hic latinitatis pater, & autor ea, quam dixi, figura, eodem verbo vsus est: non minus etiam multis hac ipse etiam forma verbo vtitur inire; vt pro Sylla. Initum est consilium à Catilina inflammandæ ciuitatis. Pro domo sua. De Pompeio interficiendo consilia inibantur. Ad Atticum libro quintodecimo. Sed tamen ea ratio ædificandi initur consilia-rio quidem, & autore Vestorio. Contra Rullum. Initur ratio quæstus de pecunia vestra. In Bruto. Plures iniuntur gratiæ, si vno tempore dicas pro pluribus. Possem de obeundo quoque, transeundo, prætereundo, alijsq; ab eodem fonte, principioque deductis verbis multa ex eodem recitare testimonia latinorum scriptorum principe: sed quia de adeundo quæstio est, dubitaturque, vtrum id verbum patiendi voce, significationeque dici, quemadmodum cetera, quæ eadem ex origine fluxerunt, possit, vnum, aut alterum antiquum latinumque scriptorem testem citabimus, vt confirmemus, Aditur olympus, vsitatè, & recte dictum fuisse. Cicero in secundo Tusculanarum quæstionum. Ex hoc versu, atque impetu animorum ad veram laudem, atque honestatem illa pericula adeuntur in prælijs. Et ad Quinctum fratrem. Neque Prætores diebus aliquot adiri possent. Columella libro primo.

Sed

Sed granaria scalis adeantur. Cornelius Tacitus annalium libro decimonono. Tum diuersos Capitolij aditus inuadunt, iuxta lucum Asyli, & qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Est ne iam tandem tam multis grauissimorum hominum, & omnium, quicunque unquam latinè siue locuti sunt, siue scripserunt, elegantissimorum exemplis, autoritatibus, locis, testimonijsque demonstratum cum tibi, Straccha, qui minime pertinax es, & discendi, quàm reprehendendi, quæ nescis, cupidior, tum perbellis istis reprehensoribus nostris, qui nihil aliud latinum putant, nisi quod apud Varinum legerunt; oportere eos, qui iudices, ac magistri volunt latinitatis haberi, non præcepta solum legisse insulsorum quorundam nostratium grammaticorum, sed veterum etiam, ac bonorum autorum scripta euoluisse, perpendisseque diligenter? intelligis ne sapienti, doctoque viro non esse temere progrediendum? non affirmandum quicquam inconsideratè? sed sustinendum semper assensum? fatendumq; potius, se nescire, quæ nescit; quàm, dum vult non videri modo, sed iactare quoque se scire, suam aperire stultitiam? Hoc ego genus verborum quoniam adeo vsitatum, tritumq; est apud scriptores latinos, vt non possis librum aperire, & aut orationem, aut carmen legere, quin statim in illud incidas, ne putaui quidem, nedum credidi quenquam aut istic, aut alibi fore, qui reprehēderet: sed plena me hercule sunt omnia nō minus audacium, quàm stultorū; nec quic-

quàm

quàm dici tam recte potest, quod non audeat impugnare stultitia improbitati coniuncta: nam esse istic inuentum hominem, qui negarit latinè dictum. Aditur olympus, Antonius me monuit Adrianus iuuenis tã probus, quam literatus, qui vnus ex omnibus propter egregios mores, cognitionemque bonarum artium lectus est à Iacobo Malatesta non solum beneficentissimo Principe, sed etiam bellicarum rerum peritissimo Duce, qui Caroli filij summæ spei, summæq; indolis pueri doctrinæ, institutioniq; præficeretur. Is igitur Antonius cum Ancona in Flaminiam, atque ad Castella, opidaque sua in agro Cesenati posita redeuntem Principem suum comitaretur, essetq; in eo comitatu Archangela Bompedonta Rogerij Manfredi Valdenucij Comitis vxor, Peregrinæ soror vxoris meæ, quæ officij causa Medeam Ferrettum sequebatur, feminam lectissimam, Iacobi ipsius vxorem, propinquam suam, me, qui Senogalliam accedentibus processeram cum nonnullis auditoribus nostris, cum conspexisset, post principum, & virorum, & feminarum salutationes, ad me accessit, omneque illud iter, quod erat ad Castellum Stacciolam contendentibus conficiendum, in ijs consumpsit commemorandis, ac docendis, quæ istic reprehensa cognouerat in Apologia nostra, quæ tunc primum Firmo, vbi impressa fuerat, Anconam aduecta erat: in quibus hoc quoque mihi vitio datum affirmauit, quòd non, Aditur olympum, sed olympus, dixissem: reticuit autem eiusmodi reprehensorum nomina, quòd me commo-

tiorem

tiorem cum vidisset, veritus est, nequid in illos acerbius scriberem. Sequitur illa grauis turpissimi erroris accusatio, qua insimulor, ne illa quidem tenere, cognitaque habere, quæ in puerili artificio, literarumque scientia prima fere traduntur; quo modo per casus latina inflecti, declinarique nomina oporteat: eo enim versu.

Cælituum mensis, epulisque accumbere diuum.

Aiunt illo à me barbarismi genere peccatum, quod per literarum fit accessionem, quòd à Cæles cælitis secundus multitudinis casus cælitum est, non cælituum. At ego me cum ad carmina pangenda, scribendaque contuli, quoniam videbam poetas siue voluntate, siue necessitate figuratè locutos vniuersos, putabam sic demum ab omni vitio, criminationeq; in ijs, quæ dicerem, figurandis, ornandisque vacuum fore, si non alijs vsus rerum, verborumque figuris essem, quàm quibus cum ceteri, qui quotidie in manibus habentur ab omnibus, poetæ, tum princeps illorum Maro vsus est. Itaque, cum legissem ab illo Lucretium secuto Alituum pro Alitum dictum ab Ales alitis, illo carmine octaui Æneidos.

Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat.

Existimaui posse item me à Cæles cælitis Cælituum pro cælitum dicere; præsertim cum viderem de hoc casu disceptantem in septimo Priscianum non reprehendisse Maronem ea de causa, sed monuisse tantum, cum ab alite alitum dicendum sit, Alituum tamen ab illo prolatum, per interpositionem u. addita: quod Seruius eo poetæ loco metri

co metri

co metri causa factum testatur, vt syllabam addiderit: licet idem Seruius, dum illum Vergilij locum enarrat. Quæ gratia currum, armorumq; fuit viuis. Scribat detraxisse ibi poetam vnum. u. licentia, qua latinitas Græcos secuta genitiuo plurali syllabam aut addit, aut detrahit; eo loco detraxisse; sicut arma virum: contra addidisse. Alituum, pecudumq; genus pro alitum: sicut Græci μουσάων ἑλικωνιάδων: quod alij nonnulli per epenthesin factum tradunt. Verum, si quid ego peccaui, cum Cælituum dixi pro cælitum, in peccatum me fateor, Vergiliana traxit imitatio, non ignoratio grammaticæ: simillima enim cum arbitrarer Alitem, & Cælitem, putaui non plus licere Vergilio ab alite alituum, quàm mihi à Cælite cælituum ducere. Quod qui audet accusare, & licenter factum criminari, aut doceat non esse similia Cælitem, & Alitem, aut, si id non potest, tam æquo animo ferat in meo carmine Cælituum, quàm fert in Vergiliano Alituum; &, quod Vergilio priuilegium irrogat, irroget & nobis, qui eo plus illo egemus in eiusmodi rebus priuilegio, quo minus illo ingenio, doctrina, ceterisque bonis, quæ ad poema conficiendum, ornandumq; pertinent, instructi, ac parati sumus. Quapropter, si iustus quis iudex esse voluerit, aut me cum Marone absoluat, necesse est; aut illum mecum condemnet, oportet: vbi enim par est error, & æquale peccatum, ibi cur dispar pœna, atque inæquale supplicium esse debeat, nulla causa est: aut igitur vtrique clementer

ignoscat,

ignoscat, metrique necessitate, non inscitia fieri iudicet, ne, quemadmodum alij loquuntur, loquantur poetæ; aut de vtroque tristiorem ferat sententiam: nam alteri quidem parcere, alterum vero damnare, quid aliud est, quàm summa quædam iniquitas? nonne etiam si veterem nullum poetam secutus fuissem, & Cælituum pro Cælitum sine exemplo, & priscorum autoritate dixissem, veniam tamen à doctis, & rerum poeticarum peritis hominibus vocis nouitati, & casus productioni impetrare epenthesis potuisset? qua vna forsitan Lucretius insignis non philosophus solum, sed etiam poeta fretus figura, veritus non est, vt carmen conficeret, primus huic casui literam addere, & Alituum dicere illo sexti versu.

Corporibus tamen alituum genus, atque ferarum.

Quod alij omnes alitum dicebant. Neque tamen id vllum reprehendisse siue antiquum, siue recentem grammaticum legimus, aut sapientem virum: at legimus imitatum summo iudicio, summaque scientia poetam Maronem, vt intelligeremus id figuræ genus esse illi non reprehensione dignum visum, sed imitatione. Quod igitur Lucretius dixit, quod Maro probauit, imitat usque est, quod carmen figurat, & ornat, quis tam inuidus, tamque iniquus erit, vt non & nobis concedat, vt dicamus, probemus, atque imitemur, summorumque virorum impressa sequamur

mur vestigia? præsertim cum videamus tantum id abesse, vt vitio poetæ vertendum, dandumque sit, cui (veluti Marcus Fabius tradit) ad certam pedum necessitatem alligato; & à recta loquendi via depulso datur verba non extendere solum, sed etiam mutare, corripere, conuertere, diuidere, multisque alijs modis, rationibusque figurare, vt ne in historico quidem homine reprehendi iure possit. Sic enim libro decimooctauo apud Cornelium Tacitum in omnibus legitur antiquis codicibus. Die, quo Bebriaci certabatur, auem inusitata specie apud Regium Lepidum celebri vico consedisse, incolæ memorant; nec deinde cœtu hominum, aut circumuolitantium alituum territam, pulsamvè, donec Otho se ipse interficeret. Quem quidem locum Beatus Rhenanus, dum deprauatum putat, atque emendare veluti vitiosum contendit, multis fœdat, ac corrumpit modis; eoque id audacius facit, atque arrogantius, quòd, qua de causa veterem lectionem repudiet, non docet; nec suam, quo rectam esse, ac germanam credamus, vlla ratione confirmat: sed his tantum verbis rem peragit, ac conficit. Celebri vico (scripsimus celebri luco. Aut circumuolitantium alituum) coniunctionem, aut, deleuimus; & pro circumuolitantium alituum scripsimus circumuolitantem alitem. Sed quàm hæc Rhenani correctio audax, ac temeraria sit, quamvè à libidine potius, quàm à iudicio profecta, & rem, de qua agitur, oppugnet magis, quàm iuuet, multa declarant,

pri-

primumque illud, quòd cum ibi à Tacito miraculum narretur, quod Othonis mortem antecessit, multo id potest maius, admirabiliusque videri, si illa inusitata specie auis dicatur celebri potius vico, quàm luco consedisse: nam, quòd in luco auis considat, nihil res habet admirationis:, id enim proprium est non solum ferarum, sed etiam auium domicilium; Quòd autē in vico, plurimum, præcipuè non de erto, aut in frequeuti, sed celebri: quod quidem adiunctum luco non congruere, nisi celebre pro claro, nobilique ponatur, perspicuum est: quis enim lucum, siluamque celebrem, idest, habitatoribus frequentem dixerit? quòd si celebrem vult lucum Beatus intelligi fama, & scriptoribus, rebusque gestis, aut magnitudine celebratum, atque nobilitatum, cur non autores profert, & illorum recitat testimonia, qui de hoc apud Regium Lepidum celebri luco meminerunt? cur, quæ Siluam nobilitarunt, celebremque reddiderunt, non commemorantur? cur non explicatur magnitudo? sed profectò rara, insolitaque figura auem consedisse celebri non luco, sed vico scripsisse Tacitum cum hoc ipsum demonstrat Celebre appositum, quod, vt luco si adiungatur, aut repugnat, & aduersatur, aut otiosum est, & nihil agit, sic vico mirificè congruit, remque incredibiliter adiuuat, quæ narratur, miraculumque extollit, atque amplificat; tum illud in primis quod sequitur. Incolæ memorant. Quæ quidem vox, Incolæ, cum ad Regium Lepidum referri ne insulse quidem possit, aut debeat, vti,

si ad lucum referatur, nihil dici monstrosius potest; ita, si ad vicum incredibile dictu est, quam se res omnis perbelle habeat; quoniam vt luci, ac siluæ incolæ nulli sunt, præsertim in nostris, Italicisque prouincijs; sic vici, si celebres sint, non minus, quàm vrbes, atque oppida, incolas habent, atque habitatores. Nonne etiam, quæ sequuntur, verba, si eo modo legantur, quo Rhenanus legit, cœtu hominum circumuolitantem alitem territam, pulsamvè non fuisse, secum ipsa pugnante? quid enim illa alitis circumuolitatio, nisi terrorem, metumque significat? cur circumuolitabat, si territa non erat? consedisse illam Tacitus, non circumuolitasse dicit; quòd, vt sessio securitatem declarat; sic circumuolitatio perturbationem, ac timorem, & quasi fugam indicare videtur, qui timor eò videri maior potest, quòd non illa se expectantium, atque admirantium oculis statim abstulit, sed concursu, cœtuque hominum præpepedita, atq; perterrita neque se audacius extricare, neq; liberiore volatu abire sciebat, neq;, quo fugeret, perterrita inueniebat. Quanto erunt omnia admirabiliora, quanto portentosiora, si tantum rara auis, & nunquam antea visa attulisse admirationis dicatur, vt ad illā videndam non homines solum conuenerint, sed aues etiam conuolarint? circumq; illam quasi admirantes, obstupescentesq; volitarint? cum illa interim ea esset securitate, vt neque vicanorum, ceterorumq; hominū concursu, atq; frequentia, neq; auium conuolatu circumuolitantium, atq; garrientium

rientium

rientium terreretur, territaque se in apertam fugam conijceret, proriperetq; ex aspectu. Quamobrem cum his de causis, quas commemoraui, & multis, & grauibus, nihil in Tacit verbis immutandum censeo, veteremq; lectionem non emendatam à Rhenano, sed deprauatam iudico; tum quòd vox illa, alituum, vix poetis concessa incredibile est dictu, quam huic in verbis faciendis, nouandisque audaciori scriptori, historicoque poetarum simillimo congruat: quæ quidem vox si Rhenano causa fuisset, cur hunc crederet locum vitiosum, correctionisque egere, profectò non ea vir doctissimus, & in expendendis nobilium autorum verbis, vitiatisque, ac corruptis suo, pristinoq; nitori restituendis valde prudens, diuque versatus, stultitia foret, vt non illa se ratione ductum moneret, atque aperiret, vt Tacitum corruptum, deprauatumque suspicaretur, quòd Alituum dicere non liceret: sed cum non monuerit, neque aperuerit, exploratum est ne in Tacito quidem illam eius dictionis productionem displicuisse Rhenano, quæ in nostro carmine, vbi Cœlituum pro Cœlitum vsurpauimus, sic morosis quibusdam displicuit, vt eo me nomine reprehensione dignum iudicarint. Esse item, Straccha reprehensum accepi versum illum.

Attentas aures docili præbete magistro.

Quòd docile discentis magis, quàm docentis adiunctum, atque epithcton magistro vitiosè tribuerim, cum eo propriè, rectèque superius vsus eo carmine fuissem.

Non ego, si docilis detur puer, vlla verebor.

In quo qui me accusat, is Terentium, Horatium, Vergilium, aut omnes potius accuset poetas, necesse est: nam & Terentius beneficio immemor, & Horatius morti Pallidum, & Vergilius ira Memor adiunxit: dum venustissimus Comicus dixit.

Nam istac commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris benefici. & summus Epicus scripsit.

Vi superum, & saeuae memorem Iunonis ob iram.
Et egregius Lyricus cecinit.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas.

Cum tamen neque beneficium obliuisci, neque ira meminisse, neque mors possit pallescere. Sed agrestior mehercule, & inhumanior est, qui tam modicis regionibus, tamque arctis finibus, aut potius cancellis poetas circumscribit, vt non liceat illis de communi, rectaque loquendi via, rationeque interdum declinare, si minus vt oblectent, saltem vt numerum expleant, metrumque perficiant. Est hoc virtutis, venustatisque poeticae non solum vt frequentius, sed etiam vt liberius, quàm oratores, epithetis vtantur. Itaque, quod oratori non concederemus, vt dicat albos dentes, & humida vina, id poetae non inuiti concedimus: tantaque in adiunctorum, appositorumque vsu huic hominum generi licentia est, vt non minus noctem, domum, vestigia, reliquaque huiusmodi

cæca dicat, quàm hominem; frequenterque, quod huius est epitheton, illi tribuat; & cum sæpe aliàs, tum illo potissimum loco fecit Vergilius.

Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido.
Esse sui dederat monumentum, & pignus amoris.

Cum enim vellet colorem indicare equi, quo in Troiæ lusu Ascanius vtebatur, Candidum, quod equi erat adiunctum, Didoni accommodauit, & pro Quem candidum metri ratio, ornatusque siue suasit, siue coegit, vt Quem candida Dido reponeret. Quod nos hoc sumus loco imitati, vbi cum pueros, adolescentesque moneremus, vt attenti, ac dociles magistrorum verba perciperent, aurium suauitati inseruientes maluimus dicere. Attentas aures docili, quàm dociles præbete magistro; ne tres dictiones sibilanti litera terminatæ, ac conclusæ insuauiorem ederent sonum: sicque, quod discentium proprium erat attributum, atque adiunctum, docenti figuratè, poeticeque traditum est: licet etiam affirmare Docile dictum pro docente, vt pro participio, poetarum more, nomen positum sit illud, quod verbale vocant grammatici, quoniam à verbo ductum sit; vti contra Maro pro nomine vsus est participio.

Candentis vaccæ media inter cornua fundit.
Candentis dicens pro candidæ.

Quid etiam impedit, quo minus dicamus nos hunc ipsum,

ipsum, quem modo nominauimus, Maronem secutos fuisse? dixisseque docile pro docto? vti ille in docile dixit pro indocto.

Is genus in docile, ac dispersum montibus altis Composuit. Vbi Seruius in docile pro indocto vsurpasse poetam eo probat, quòd, cum in docile sit, quòd penitus non potest discere, indoctum autem, quod nondum didicit, si Aborigines Saturnus composuit, vt poeta confirmat, profecto illi non in dociles fuere, sed indocte; quòd, si in dociles extitissent, componere illos nullo modo potuisset Saturnus. Eo autem versu idem poetarum princeps.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar.

Nonne sic apposita commutauit, vt, quod Cæsaris erat, origini, quod originis, Cæsari tradiderit? & cum dicendum fuisset.

Nascetur pulcher Troiana ab origine Cæsar. quo suauior esset, permutatis epithetis, dixit.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar.

Sic autem eo loco Cæsari pulchrum adiunxit, quemadmodum alibi Herculi.

Satus Hercule pulchro.

Pulcher Auentius.

Nã, qđ Seruius interpretatur pulchra origine dictũ propter Venerẽ, mihi quidẽ non probatur, & quòd magis origini cõgruit, quàm Cæsari Troiani adiunctũ, veriusq; dicimus Troiana origine ortũ, quàm Troianũ Cæsarẽ fuisse, & quòd

& quòd Pulchrum vti si originem comitetur, nihil ferè præstat, & agit, otiosumq; pene, & superuacaneum videtur; sic, si Cæsarem sequatur vix explicari potest, quàm illum commendet, Herculiq; similem reddat, cuius item fortitudo ea voce significata, dictaq; est a poeta, qui quæ similia esse vult significare, ijs sæpe idem tribuere epitheton consueuit. Itaque altam tam Carthaginem dicit, quam Romam.

Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas. &
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Sed vides ne me, dum volo omnia persequi, omnia, quæ à nouis istis Aristarchis obijciuntur, diluere, & cum ceteris auditoribus, veteribusque discipulis meis Anconitanis, tum præcipuè tibi satisfacere, probarique Apologiam nostram, eo pene nihil sentientem prouectum esse, vt epistolæ fines ferè iam prætergressus sim, volumenq; confecerim? Quare finem faciam, sed si te prius rogaro, vt mihi præsto sis meq; adiuues, quo par pari referam calumniatoribus, atque maledicis, vt, quemadmodum illi criminationes suas quam latissimè dissiparunt, sic tu meam hanc vulges defensionem, ostendasque quam plurimis, præsertim eruditis, in primisque Benuenuto patruo, homini non minus poeticarum rerum, quàm iuris peritissimi, Francisçoque item Fatiolo, ac reliquis, qui tibi aliquid sapere, & musarum non inimici videbuntur, potissimum verò Ioanni Baptistæ Ferreto, qui iuris ciuilis

lis

lis cognitioni sic bonarum omnium artium cõiũxit scientiam, vt de quaque re probè iudicare, & peritè possit, precipuè autem de festiuitatibus, leporibusque poeticis, quibus adeo delectatur, vt æque magnam iucundissimæ illius artis, atque iuris assecutus sit, adeptusque scientiam; vt publicæ accusationi publicè respondeatur: cur enim non publicam appellem, de qua ad me à tam multis scriptum est, scribiturque quotidie? Vale, & cum ceteros reprehensores nostros vniuersos, tum istum ipsum præcipuè doctorem tuum mone, vt posthac amicorum potius vitiosas res defendat, quàm accuset bonas, præsertim cum ex defendendo, quàm ex accusando vberior laus paretur. Senogalliæ Calen. Octob. 1577.

FINIS.

lis cognitioni sic bonarum omnium artium cõiunxit scientiam, vt de quaque re probè iudicare, & peritè possit, precipuè autem de festiuitatibus, leporibusque poeticis, quibus adeo delectatur, vt æque magnam iucundissimæ illius artis, atque iuris assecutus sit, adeptusque scientiam; vt publicæ accusationi publicè respondeatur: cur enim non publicam appellem, de qua ad me à tam multis scriptum est, scriburque quotidie? Vale, & cum ceteros reprehensores nostros vniuersos, tum istum ipsum præcipuè doctorem tuum mone, vt posthac amicorum potius vitiosas res defendat, quàm accuset bonas, præsertim cum ex defendendo, quàm ex accusando vberior laus paretur. Senogalliæ Calen. Octob. 1577.

FINIS.

IMPRESSORIS VITIO, QVI IN opere commissi sunt errores, sic corriges.

Primus numerus paginam, secundus faciem paginæ, tertius versum, vbi erratum est, indicat.

In epist. pag. 6	fac. 2	versu 1	*felicis*	*Felcis*
2	1	8	*Maxime*	*Maxima*
ibid.	2	20	*Campa*	*Campano*
4	1	24	*Culiæ*	*Culta*
ibid.	2	15	*propaga*	*propago*
5	2	18	*Farnesi*	*Fanensis*
7	1	14	*Riccius mihi*	*Riccius ipse mihi*
ibid.	2	9	*Scis non exigua te laborare fame*	*Scis non exiguã te cruciare famem*
9	2	7	*victus*	*vitus*
ibid.		13	*nimis*	*minus*
10	2	19	*Pagus*	*Tagus*
ibid.		7	*vocares*	*vocaris*
11	1	23	*bonis*	*nobis*
12	1	11	*sobria*	*frugi*
ibid.		26	*possent*	*possunt*
ibid.	2	11	*Qui pauca*	*paucaq; qui*
ibid.		13	*contectus*	*contectas*
ibid.		22	*decusque*	*ducesque*
13	2	16	*pranuisque*	*proauuisque*
14	1	13	*hic*	*his*
ibid.	2	1	*Pidicinus*	*Sidicinus*
16	2	14	*contemnis*	*contemnis*
17	1	19	*sic*	*si*
18	2	12	*quod*	*quo*
22	1	7	*lectus*	*datus*
23	1	3	*vultus*	*cultus*
ibid.	2	6	*e cam*	*escam*
26	2	10	*iuri*	*viri*
ibid.		19	*artifici*	*artificis*
28	1	7	*I pe*	*Ipse*
ibid.	2	2	*pacta*	*tacta*
29	1	6	*si*	*sit*
ibid.	2	1	*dissecuise*	*dissecuisse*
31	1	13	*arundine vitis*	*arundo*
32	2	12	*leti*	*lecti*
33	1	5	*vocant*	*vocat*
38	1	16	*hydra*	*hydram*
ibid.	2	9	*Illa*	*Illo*

pag. 41	*fac.* 2	*versu* 26	*Titione*	*ditione*
42	1	2	*Picenæ*	*Piceni*
ibid.		11	*quendam*	*quedam*
45	2	16	*ſi*	*ſa*
46	2	17	*Adoranti*	*Adoraranti*
48	2	25	*Queſta*	*Queſti*
49	1	21	*valore*	*volare*
57	1	4	*concinet*	*concinit*
59	2	6	*csipio*	*accipio*
60	1	20	*ſuorum*	*adoleſcentium*
ibid.	2	18	*Hinc fit, vt in frequentiores*	
64	2	8	*vix*	*vir*
ibid.		15	*hiſtaricam*	*hiſtrionicam*
66	2	4	*Studium*	*Stadium*
67	1	23	*reſpondere*	*reſponderem*
70	1	20	*famis*	*fames*
72	1	11	*Cynum*	*Cygnum*
79	1	27	*vertentur*	*vertetur*
ibid.	2	12	*traxerat*	*texerat*
80	1	21	*Deum*	*Deam*
82	1	20	*Coupta*	*Compta*
85	2	14	*ipſe*	*ipſa*
86	1	12	*vicit*	*viue*
ibid.		14	*aurum*	*arcum*
90	1	10	*patrum*	*patruum*
ibid.	2	3	*Petro*	*Petri*
92	2	20	*eximit*	*exuit*
93	2	4	*deusque*	*decusque*
95	2	11	*Sarnaßi*	*Parnaßi*
96	1	20	*ſuſonios*	*Auſonios*
97	1	2	*inſigne*	*inſigni*
ibid.		20	*Ortonia*	*Tritonia*
ibid.	2	27	*rigen*	*rigens*
100	1	13	*faecie*	*facie*
101	1	17	*Reſte*	*Reſte*
ibid.	2	5	*Tans*	*Iam*
ibid.		13	*Non adeat*	*Ne doleat*
102	1	23	*meſer*	*miſer*
203	2	1	*Frandis*	*Fraudes*
204	1	21	*Solchis*	*Colchis*
205	1	2	*Pallida*	*Pallidas*
ibid.	2	5	*diſpice*	*deſpice*
206	1	5	*nunez*	*nunc*
207	2	17	*rotis*	*roſis*
210	1	14	*legno*	*ſegno*
217	1	20	*vt*	*&*
219	2	5	*aliqua*	*aliquo*

pag. 219	fac. 2	versu 10	*Araenen*	*Araenen*
220	1	13	*camcenæ*	*camanæ*
221	2	20	*ì*	*è*
222	1	6	*minis*	*miris*
ibid.		16	*absistas*	*absistis*
223	2	6	*minus*	*minas*
224	1	4	*magnanimam*	*magnanimum*
225	1	2	*dapis*	*dapes*
ibid.	2	3	*verum*	*virum*
226	1	22	*incolumen*	*incolumem*
227	1	12	*ab eo*	*abeo*
228	1	5	*multum*	*vultum*
229	1	1	*orus*	*oras*
ibid.	2	4	*dlores*	*dolores*
235	1	7	*&*	*es*
237	1	2	*Soloxam*	*Solonem*
240	2	11	*certum*	*certam*
241	1	18	*Te*	*Is*
ibid.	2	18	*pravos*	*proavos*
242	1	15	*habes*	*hebes*
243	1	1	*animos*	*animus*
244	1	22	*scripturus*	*scripturas*
245	1	1	*proponite*	*præponite*
247	2	27	*parære*	*parare*
253	1	4	*miserum*	*miseram*
261	1	1	*criminibus*	*carminibus*
263	2	27	*multum*	*multorum*
267	2	24	*Græcus*	*potius*
269	2	15	*ea*	*ea*
270	1	17	*iÿ*	*ÿs*
273	2	21	*demonstrat*	*demonstret*
276	2	16	*locupletavi*	*locupletavis*
ibid.	2	21	*& nepos*	*at nepos*
277	2	17	*accedentibus*	*obviam*
279	2	10	*autem*	*autem*
280	1	9	*de erto*	*deserto*
ibid.	2	9	*pugnante*	*pugnabunt*
ibid.		16	*expectantium*	*è spectantium*
282	1	2	*&*	*vt*
ibid.	2	10	*indocte*	*indocti*



Tali mota mal quelle [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] pasia [illegible] [illegible]